„Der vorgelegte Gesetzesentwurf über die Verantwortlichkeit der Gemeindemitglieder für die in der Gemeinde unter gewissen Umständen verübten Verbrechen ist die folgerichtige Anwendung des uralten germanischen Grundsatzes von der Gesammtbürgschaft der Gemeinden."

Eine Consequenz dieses Prinzips ist es, daß alle diejenigen Zweifelsgründe, welche sich die durch das Gesetz eingeführte Verantwortlichkeit der Gemeindeangehörigen als eine Folge ihrer Mitschuld vorstellten, verwerflich sind, und in der That bei den Berathungen der beiden Kammern verworfen wurden.

Hiernach steht es weder der Gesammtheit noch einem Einzelnen zu, sich von der Beitragspflicht durch die Nachweisung gänzlicher Schuldlosigkeit frei zu machen. Selbst die Behauptung der Gesammtheit, daß

Digitized by Google

ihre vereinigten Kräfte zu schwach gewesen wären, den Schaden zu verhindern, oder des Einzelnen, daß er mit Selbstaufopferung alle seine Kräfte vergeblich aufgeboten habe, sind vom Gesetze nicht als Befreiungsgründe anerkannt.

Hierüber sagt der Commissionsbericht mit dürren Worten:

„Ebensowenig konnte man einem einzelnen Bürger oder Einwohner die Befugniß geben, von der Schadenersatzpflicht sich durch den Beweis zu befreien, daß er von seiner Seite, vielleicht durch große persönliche Aufopferung, Alles gethan habe, um das Verbrechen zu hindern oder den schlimmern Ausbrüchen vorzubeugen; denn eben nach der Idee der Gesammtbürgschaft kommt es hierauf nicht an.“

Aus diesem Grunde müssen auch Kranke und Abwesende ihren Beitrag leisten, und soweit ging man in der Consequenz, daß man — gegen den ursprünglichen Regierungsentwurf — sogar den Beschädigten selbst für beitragspflichtig erklärte.

Der Commissionsbericht bezieht sich da, wo er über die Verwerflichkeit derartiger Einwürfe redet, ausdrücklich auf die Analogie einer Brandversicherungs-Gesellschaft.

Nach diesem von beiden Kammern angenommenen und von der Regierung zum Gesetze erhobenen Grundsatze muß jedes aus den Grundsätzen über Entschädigungspflicht für Vergehen oder Versehen (L.-R.-S. 1383) hergeholte Argument bei Anwendung des § 1 des Gesetzes als eine nur auf Abwege führende fremdartige Beimischung betrachtet werden.

Solche Argumente haben keinen größern Gehalt als etwa die Behauptung einer Feuerversicherungs-Gesellschaft, daß sie den Brand nicht selbst angefacht, oder einer Seeassecuranz-Gesellschaft, daß sie die Macht nicht besessen habe, einem ausgebrochenen Sturme Schranken zu setzen.

Wenn daher das Großherzogliche Hofgericht in seinen Entscheidungsgründen dem § 1 des Gesetzes neben dem Prinzip der Gesammtbürgschaft noch ein zweites angeblich innig damit verflochtenes Prinzip zu Grunde legt, nämlich den Grundsatz über die Entschädigungspflicht aus Vergehen und Versehen, so muß diese Auslegung des Gesetzes unbedingt als eine irrthümliche bezeichnet werden.

Zwei verschiedene Prinzipien können einer und derselben Gesetzesvorschrift niemals zu Grunde liegen, ein solcher Versuch des Gesetzgebers würde, bei dem nothwendigen Auseinandergehen der Consequenzen zweier Prinzipien, unfehlbar unlösbare Widersprüche hervorrufen. Der Irrthum des Großherzoglichen Hofgerichts entstand nur dadurch, daß dasselbe die verschiedenen Bestimmungen der Art. 1, 2, 3 und 4 zusammenhielt, und aus dieser Zusammenfassung den Sinn des Gesetzes zu ermitteln suchte.

Dieser Weg der Interpretation ist aber ein durchaus fehlerhafter, weil, nach dem ausdrücklichen Ausspruche des Gesetzgebers, das Prinzip, auf welches § 1 des Gesetzes gegründet ist, ganz verschieden ist von dem Prinzipe, auf welchem die §§ 3 und 4 beruhen.

Während nämlich § 1 den Fall im Auge hat, daß in der nämlichen Gemeinde, in welcher die Zusammenrottung stattfand, auch die Gewaltthätigkeit begangen wird, sprechen die §§ 3 und 4 von den Fällen,

Digitized by Google

wenn der in der einen Gemeinde oder in mehreren Gemeinden zusammengerottete Haufen auszieht, um in einer andern Gemeinde Verbrechen zu begehen.

Nach dem bestimmten Ausspruche des Gesetzgebers beruht nur in dem Falle des § 1 die Haftbarkeit der Gesammtheit auf dem Prinzip der Gesammtbürgschaft; dagegen beruht die Haftbarkeit in den Fällen der §§ 3 und 4 auf dem Grundsatze eines durch Vergehen oder Versehen entstandenen Schadens.

Hieraus ergibt sich, daß das Zusammenhalten dieser verschiedenen Gesetzesparagraphen zum Zwecke der Auffindung eines ihnen zum Grunde liegenden gemeinschaftlichen Prinzips durchaus unzulässig ist.

Bei der Anwendung des § 1 muß jeder Gedanke an eine Haftbarkeit wegen Vergehen und Versehen ebenso unterdrückt werden, wie bei der Anwendung der §§ 3 und 4 die Idee der Gesammtbürgschaft zu beseitigen ist.

Durch die Beschränkung des § 1 des Gesetzes auf den Grundsatz der Gesammtbürgschaft soll aber nicht verkannt werden, daß dem Gesetzgeber zugleich die wohlthätige Wirkung vorschwebte, die er sich von einem solchen Gesetze versprach. Diese Erwartung ist es, welche in dem Commissionsberichte mit den Worten ausgedrückt wird:

„Die dem öffentlichen Leben bisher fremden Bürger waren gleichgiltig oder zogen aus Feigheit oder aus Schadenfreude oder fanatischen Beweggründen, die sie mit den Verbrechern theilten, da sich zurück, wo sie durch ihre Energie und ihren Muth leicht den Ausbruch der Ruhestörung hätten hindern können. — Die Gesetzgebung muß darauf rechnen können, daß die Bürger und Einwohner den verderblichen Geist, der in einer Gemeinde sich ausspricht, unterdrücken, den Sinn für Ordnung befördern und thatkräftig dem Ausbruche verbrecherischer Plane entgegen wirken."

Während hiernach im Falle des § 1 der Mangel eines thätigen Zusammenwirkens der Einwohner nur als ein fehlerhafter Zustand aufgefaßt wird, der durch die Einführung einer Gesammtbürgschaft gehoben werden soll; ist in den Fällen der §§ 3 und 4 der Mangel als ein Vergehen erklärt, aus welchem die Entschädigungsverbindlichkeit nach den Grundsätzen der L.-R.-S. 1383 ff. entspringt. Nur der § 1 enthält hiernach ein neues Rechtsinstitut, die §§ 3 und 4 dagegen enthalten nur nähere Bestimmungen über die aus unrechten Handlungen oder Unterlassungen entspringenden Verbindlichkeiten.

§ 11.

Unterliegt es hiernach keinem Zweifel, daß in unserm Falle, und wo sich der Kläger auf § 1 des Gesetzes beruft, nur die Idee der Gesammtbürgschaft der Beklagten bei Schlußfolgerungen aus dem Gesetze Geltung hat, so fragt es sich dann weiter: für welche Art von Beschädigungen das Gesetz eine solche Assecuranz statuirt?

Auf diese Frage antwortet der Gesetzgeber dadurch, daß er die Veranlassung hervorhebt, welche seine gesetzgeberische Thätigkeit in Bewegung gesetzt hat. Hierüber sagt der Commissionsbericht Folgendes:

„In unserm Großherzogthum haben außerordentliche Vorfälle der Neuzeit das Bedürfniß einer solchen Gesetzgebung hervorgerufen. — Die durch die politischen Ereignisse zum Ausbruche

Digitized by Google

gekommene Aufregung entfesselte die Leidenschaften und weckte ebenso manchen bisher zurückgehaltenen Groll."

Es ist bekannt, daß nicht allein der Sturm auf das Haber'sche Haus, sondern auch die Gewaltthätigkeiten gegen das Eigenthum von Juden und Grund- und Standesherren unter den erwähnten außerordentlichen Vorfällen verstanden werden. Es ergibt sich aus dieser Veranlassung des Gesetzes, daß alle diejenigen Beschädigungen darunter begriffen sind, welche von zusammengerotteten Haufen gegen Einzelne verübt werden, um einem gegen dieselben gehegten Grolle Luft zu machen. — Das Gesetz wird daher überall da Anwendung finden, wo die That als eine Frucht des Parteihasses erscheint.

§ 12.

Nach diesen Erörterungen wird an der Begründetheit der Klage in thatsächlicher Beziehung kein Zweifel übrig bleiben.

Es ist darin behauptet:

1) Daß innerhalb der hiesigen Gemeinde Zusammenrottungen und Vereinigungen Bewaffneter sich bildeten;
2) daß ein zusammengerotteter bewaffneter Haufe das klägerische Etablissement mit offener Gewalt in Besitz nahm und auf mehrfache Weise beschädigte;
3) daß diese Handlung in der Absicht geschah, dem Kläger wegen seiner bekannten politischen Ansichten ein Uebel zuzufügen.

Es scheint hiernach, daß bei dem Vorhandensein aller Voraussetzungen des § 1 des Gesetzes vom 1. April 1848 die Abweisung der Klage wegen fehlender thatsächlicher Begründung nicht zu rechtfertigen ist.

§ 13.

Es bleibt noch übrig, die Einwürfe zu widerlegen, welche von Seiten des gegnerischen Anwalts und von Seiten des Unterrichters gegen die Begründetheit der Klage erhoben wurden.

1) In den §§ 2 und 3 der Vernehmlassung ist diejenige Einwendung enthalten, welche das Großherzogliche Hofgericht zum Entscheidungsgrunde für die Abweisung der Klage erhoben hat. Ich habe dieselbe bereits zu widerlegen gesucht und habe nur noch Folgendes beizufügen:

Mit Nichten steht der Wirth zum Europäischen Hofe mit dem Kläger auf einer Linie. Denn, wenn auch bewaffnete Personen ihr Lager in diesem Gasthause aufschlugen, so haben dieselben von hier aus doch nicht nach Ludwigshafen hinübergeschossen und sich keine Eigenthums-Beschädigungen aus Parteihaß gegen die Person des Besitzers zu Schulden kommen lassen. Nicht einmal seine Wirthschaft gerieth in Stockung, sondern wurde während des ganzen Laufs der Begebenheit fortbetrieben. Ebensowenig war die Hinwegnahme der Baumwollenballen als Ausbruch des Hasses gegen deren, den Thätern ganz unbekannten Eigenthümer zu betrachten.

Was den Grafen von Oberndorf in Edingen betrifft, so ist es dem Kläger nur bekannt, daß ein Theil

Digitized by Google

der revolutionären Truppen im dortigen Lustschlosse einquartirt war. Man erzählte sich wohl, daß sie dem in dem gräflichen Keller befindlichen Weine zusprachen, aber von rachsüchtigen Zerstörungen und Beraubungen wurde nichts bekannt.

§ 14.

2) Die im § 5 der Vernehmlassung enthaltene Einwendung ist gänzlich unbegründet.

Es klingt schon an und für sich seltsam, wenn die beklagte Einwohnerschaft sich zur Befreiung von einer Verbindlichkeit auf die Behauptung beruft, daß sie, die Einwohnerschaft, sich im Revolutionszustande befunden habe. Hierauf kann nur erwidert werden: daß die Einwohnerschaft sich vor einem solchen Zustande hätte bewahren sollen.

Daß aber ein solcher Zustand die Anwendbarkeit des Gesetzes nicht ausschließt, ergibt sich, wenn es sich nicht von selbst verstände, insbesondere daraus, daß das Gesetz ganz eigens für derartige Zustände gemacht wurde, indem bei regelmäßigen Zuständen die öffentliche Gewalt stark genug sein wird, das Privateigenthum zu schützen.

Die Vernehmlassung behauptet ferner, daß im vorliegenden Falle nicht die Voraussetzungen des § 1, sondern die des § 3 des Gesetzes vorhanden gewesen seien. Diese Ansicht wird damit zu begründen versucht, daß man behauptet: die Thäter, welche die Gewaltthätigkeit gegen den Kläger verübten, seien keine der Gemeinde Mannheim angehörigen Personen gewesen, sondern Fremde, und zwar diejenigen Personen, welche die Vernehmlassung speciell verzeichnet.

Hieraus wird geschlossen, daß der § 3 des Gesetzes Anwendung finde, und da diese Gesetzesstelle den Beweis der Schuldlosigkeit zuläßt, so wird in der Vernehmlassung diese Einrede unter Berufung auf die Uebermacht der Thäter zu begründen versucht.

Allein dieser ganze Vertheidigungsgrund beruht auf einer irrigen Voraussetzung.

Es kann nämlich bei der Frage, ob sich ein Fall unter § 1 oder 3 oder 4 eignet, unmöglich auf den Ort der Geburt oder Heimathsberechtigung der Thäter in einer oder der andern Gemeinde ankommen. Ein Gesetz, welches seine Bestimmungen über die Entschädigungsverbindlichkeit von der Erörterung der Heimathsverhältnisse der Thäter abhängig machte, würde mit Recht ein thörichtes Gesetz genannt werden müssen.

Nach einem solchen Gesetze würde z. B. § 1 des Gesetzes nicht anwendbar sein, wenn die in einem Orte vorübergehend in Arbeit stehenden, aber dem dortigen Gemeindeverband nicht angehörigen Handwerksburschen oder Fabrikarbeiter sich auf öffentlichem Marktplatze zusammenrotteten, um die Wohnung eines verhaßten Vorgesetzten zu stürmen, und wie würde es zu halten sein, wenn die Theilnehmer einer Zusammenrottung Ausländer sind, in deren Vaterland ein Gesetz wie das vom 1. April 1848 nicht besteht? Diese und eine Reihe weiterer Sonderbarkeiten würde sich aus dem seltsamen Unterscheidungsgrunde ergeben, ob in diesem oder jenem Orte die Thäter heimathsberechtigt seien.

Es kann daher das Gesetz von einer solchen Voraussetzung nicht ausgegangen sein. Vielmehr kommt es bei der Frage, ob der Fall des § 1, §§ 2, 3 oder 4 vorliege, nicht auf den Ort der Heimath der Thäter, sondern auf denjenigen Ort an, wo die Zusammenrottung oder Vereinigung Mehrerer stattfand.

Hat die Zusammenrottung und die Ausführung des Verbrechens in einer und derselben Gemeinde

Digitized by Google

stattgefunden, so gehört der Fall unter § 1 des Gesetzes. Geschah aber die Zusammenrottung in der einen Gemeinde, um sich von da gemeinschaftlich in eine andere Gemeinde zu begeben und hier das Verbrechen zu begehen, so findet der § 3 des Gesetzes Anwendung.

Dies ergiebt sich aus dem Gesetze, wo im § 3 gesagt wird:

„kamen sie aus einer andern Gemeinde" und in § 4 „aus deren Mitte Diejenigen kamen" und:

„wenn Diejenigen, welche das Verbrechen verübten, sich in einer so großen Zahl entfernten" u. s. w.

Jedenfalls aber könnte es, wenn auch das Wohnen an einem gewissen Orte die entscheidende Thatsache wäre, keinen Unterschied machen, ob die Personen, welche sich zusammenrotteten, als ständige oder nur vorübergehende Bewohner eines Orts zu betrachten sind, und es sind daher auch die in der Gemeinde sich vorübergehend aufhaltenden fremden Gäste unter dem Ausdrucke „Einwohner" inbegriffen.

Es liegt hiernach die Voraussetzung des § 3 des Gesetzes nicht vor, selbst wenn es nicht unwahr wäre, daß die Gewaltthätigkeiten gegen den Kläger ausschließlich von denjenigen Fremden begangen worden seien, von welchen die Vernehmlassung spricht; ferner aber dürfte es den Beklagten nicht gelingen, den Beweis ihrer gänzlichen Schuldlosigkeit im Sinne des § 3 des Gesetzes zu führen.

Die Mannheimer Bürgerwehr bestand aus 2000 Bewaffneten, welche, militärisch organisirt und eingeübt, und im Besitze sogar von mehreren Stücken schweren Geschützes, gesetzlich verpflichtet war, die Ordnung zu handhaben und Schutz gegen Person und Eigenthum zu gewähren.

Einer solchen bewaffneten Macht würde es gewiß möglich gewesen sein, die ganze s. g. „Kriegsoperation" gegen die preußischen Truppen zu verhindern. Mindestens aber war sie doch verpflichtet, das Eigenthum ihres Mitbürgers gegen Gewaltthätigkeiten zu schützen, die gelegenheitlich jener angeblichen Kriegsoperation begangen wurden.

Es ist aber in der Vernehmlassung die Behauptung nicht zu finden, daß die Mannheimer Einwohnerschaft auch nur den geringsten Versuch gemacht hätte, von dem Kläger das Unglück abzuwenden. Der Grund des Stillschweigens über diesen Punkt ist lediglich darin zu suchen, daß die Einwohnerschaft Mannheims zum einen Theile selbst bei der Zerstörung mitwirkte oder derselben doch beifällig zusah, der andere Theil aber die moralische Kraft nicht besaß, dagegen aufzutreten.

§ 15.

Was schließlich den Grund betrifft, welcher den Richter I. Instanz zur Abweisung der Klage bewog, so geht derselbe dahin, daß die Angabe der Heimathsverhältnisse der Beklagten zur vollständigen Klagebegründung erforderlich sei, ferner, daß die vorliegende Klage um deßwillen verworfen werden müsse, weil an dem Verbrechen gegen den Kläger nicht blos Mannheimer, sondern auch Nicht-Mannheimer Theil genommen haben, woraus der Unterrichter den Schluß zieht, daß die Gesammtheiten der Einwohner aller derjenigen Gemeinden hätten belangt werden müssen, welchen die verschiedenen Thäter angehören.

Digitized by Google

Diese Ansicht des Unterrichters ist, soweit nöthig, bereits durch das in § 13 Vorgetragene zu widerlegen gesucht. Im Uebrigen scheint es mir, daß diese Ansicht des Richters I. Instanz nur als Beispiel dienen kann, auf welchen Abweg es führt, wenn man die Erörterung der Heimathsverhältnisse der Thäter mit dem Gesetze vom 1. April 1848 in Zusammenhang bringt.

Hiernach dürfte, nach Ansicht des Klägers, an der Begründetheit der Klage in thatsächlicher und rechtlicher Beziehung, ein erheblicher Zweifel nicht gerechtfertigt erscheinen.

Mannheim, im August 1854.

Esser,
Obergerichts-Advokat.

Digitized by Google

Digitized by Google

3


DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO AUGUSTO

AC POTENTISSIMO PRINCIPE

PLAN VON MANNHEIM.



Digitized by Google

Digitized by Google

Law. 3

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO AUGUSTO
AC POTENTISSIMO PRINCIPE

AC DOMINO DOMINO

PARSONS LIBRARY, University of MICHIGAN

LEOPOLDO

MAGNO DUCE BADARUM, DUCE ZARINGIAE ET QUAE SUNT RELIQUA

ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINIS

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XII. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCCXL.

EXAMINI SUBJECIT

AUCTOR

FRANCISCUS ALBERTUS FREYTAG,

GOTHANUS.

HEIDELBERGAE

TYPIS CAROLI GROOS, BIBLIOPOLAE ACADEMIAE ET TYPOGRAPHI.

MDCCCXL.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNO FRIDERICO FREYTAG, summi, qui res sacras et scholasticas curat, senatus consiliario eidemque a consiliis rerum publicarum administrandarum, patri pietatis documentum sacrum.

Praefatio.

Quand les hommes s'unissent en société, comme la société est désormais chargée de pourvoir à la sûreté de ses membres, tous se dépouillent en sa faveur du droit de punir. C'est donc à elle à venger les injures particulières en protégeant les citoyens.

Si doctrina de causis capitalibus tironibus in juris scientia ex more magis arridere solet, quam illa, qua de civilibus agitur, juvenum animus quam maxime tenetur in contemplando duelli crimine cujus perpetrandi variae imo plurimae inveniuntur causae, quodque, quae multorum est petulantia atque protervitas, saepissime committi omnibus constat. Frigido contemnentibus nobis animo, quem caedem extra duellum admisisse, quem furtum vel stuprum violentum fecisse cognovimus, excusandus videtur singulari certamine congressus cum adversario inferiore discedente vel plane succumbente, miserendus ejus, qui filium parentibus, fratrem sororibus, sponsum desponsatae, conjugem conjugi, patrem liberis eripuit. Unde haec indulgentia, unde clementia? Explicanda mihi videtur tum eo, quod pugnantes duello commisso mentem minus depravatam quam siccarii, fures atque per vim stuprantes manifestare solent tum eo, quod duella, quorum usus a quibusdam ordinibus privilegium magis, quam crimen solet

Digitized by Google

haberi, tam saepe conficiuntur ut, quidquid iis inesset insoliti vel novi paulatim evanesceret. Revera duellum infirmitatis cujusdam levitatisque est ducendum quibus plurimi homines permoti, quamlibet injuriam, quodcunque ab aliquo injuria possit haberi, duello commisso esse vindicandam opinantur. Propter quod quidem praejudicium, quo permulti iidemque doctissimi atque eruditissimi moventur, omnes fere legum scriptores, licet poenis tam acerbissimis et gravissimis, quam levissimis atque mitissimis, quin imo impunitatem remissionemve poenae adhibendo, crimini duellorum faciendorum occurrere studerent, plane nihil effecerunt, ita ut singuli, quod duellorum numerum, singulis superentur annis. Quod quum ita se habeat, quae sint difficultates vincendae, quaeque impedimenta superanda in opinione praejudicata impugnanda facile est intellectu. Ut satisfaciamus quaerenti, quot, ratione obiter inita, in Germania quotannis conficiantur duella, ponentes, ut circiter ducena ad trecena in qualibet germanica academia committantur, circa quaterna ad sena millia, exceptis militum et munera publica administrantium duellis quotannis haberi invenimus. Consequentias ex his certaminibus descendentes reputantem haud quidem fugiet, perpauca duellorum in tanto eorum numero, tantaque multitudine infaustissimam habere exitum, ut alter pugnantium praematura morte opprimatur, sed maximam eorum partem plane sine detrimento valetudinis duellantium fieri, nihilominus vero vulnera, quibus sauciati per totam reliquam tabescunt vitam praecipue in academiis, ubi litterarum studiosi non plagas sed ictus infligendo contendere solent crebrius pugnantibus inferri, satis superque constat. Itaque duellum nostrorum temporum macula mihi videtur, qua vix majorem eandemque hominibus honoris animique cultus gradu superioribus adhaerentem citarem, cujusque delendae studium omnibus probis et bonis curae cordique esse debebit. Quum publica, qua omnes fruantur securitas in civitate quam maxime sit spectanda singulis civibus ad arbitrium et quolibet modo sese defendendi potestatem, qua singulorum jura et obligationes turbarentur et confunderentur haud concedendam esse nemo est, qui contendat. Quam ob causam nulla in civitate degenti quam respublica potest praestare defensionem sibi ipsi vindicare est permissum Mirantem insuper, imo indignatum quemque reputantem, a quibus hominibus hoc crimen potissimum petrari soleat invenimus, quod illa certamina ab eruditissimis atque ad humanitatem informatis comittuntur, qui animi corporisque sanitati consulturi, qui jus aequitatemque sunt quaesturi ac tuituri, quibusve defendenda patria est demendata. Homines inculti politiorisve humanitatis expertes quin nullo fere tempore rixas inter se ortas duello conserto componere studu-

Digitized by Google

oriat, quis est qui dubitet? Quotus enim quisque agricola vel homo operarius ad injuriam sibi illatam, pluribus hebdomadibus mensibusve praeteritis, armis ulciscendam inclinabit? Hic aut parem referet injuriam, aut adversarium contumeliam facientem verberibus castigare studebit. Quae quum ita se habeant hominem non naturali sensu dignitatis suae, sed necessitate quadam cogente adversarii sui sanguinem profundendo famam vel illaesam servare, vel diminutam restituere ad duellum faciendum commoveri intelligimus. Si honor duello conserto defendendus vel recuperandus hominibus esset innatus, homo nondum ad humanitatem informatus, rusticus, ferus et rudis injuriam passus adversarium suum ad pugnam provocaret, quod vero pro rerum temporumque, quo vivimus, rationibus inauditum et novum quid nobis videretur, quoniam duelli usus virorum eruditorum litterisque excultorum semper habebatur privilegium. Quantum hominum praejudicio in dijudicanda duelli origine tribuendum, optime concludes ex variis notionibus, quas homines in diversis terris cum virtute fortitudineque conjungere solent, ita ut Germanis, qui in frontem adversarii sui pugnat fortis videatur nominandus, Itali vero caedem ex insidiis factam siccario honori cedere opinentur. Neque vero circumspicientem, ubinam rationem, qua opinioni praejudicatae occurratur deprehendat, fugiet, *omnibus probis* et *bonis* civibus duellum improbari, iisdemque quam maxime in optatis esse, ut inveterata illa, qua perversiorem vix cogitatione mihi fingere possem, extinguatur consuetudo, neque eundem praeterire poterit, permulta temporis decursu evanuisse praejudicia, quamvis fere omnium animos, quibus quasi inhaerere viderentur, cepissent. Ut exemplum afferam mentionem sum facturus humanarum hostiarum, tormentorum, ordaliorum, a quibus duella extrajudicialia, qualia nostris usitata sunt temporibus, originem duxisse videntur. At si quis duellum, per longissimum jam tempus, adeo per plura saecula usu servatum, quum singulis plura conficiantur duella annis, legibus etsi optimis atque sapientissimis extingui non posse contendat, hujusmodi dictis ab impugnanda detestabili illa consuetudine nos deterreri non pati infitias non imus. Quid enim stultius est, quid fere amentius, quam malum, cujus exstirpandi multae superandae sunt difficultates, hanc ob causam negligere, vel plane invictum agnoscere? Ceterum vel mores hodierni temporis impugnare videntur duellum, quippe quod vulgi opinione suffragante penitus est privatum. Nam quum prioribus temporibus certaminum avidissimus quisque multis secundo Marte consertis gloriaretur, quum se praedicaret atque jactaret de virtute sua, qua plures vita privavisset, nunc talem haud reperiremus, quum turpem vitam suam atque probrosam disciplinam ulli approbatum iri

Digitized by Google

vix posset sperare. *Conf.* de Pinnow Pétition contre le duel. Paris 1836. p. 7. Sunt etiam, qui minuto et demisso animo permoti dicant, duellum esse quasi impedimentum humanae perfectionis considerandum neque alio evidentius probari crimine, ut homines summum humanitatis gradum nullo tempore sint consecuturi. Si vero ulla sollicitudo, haec falsa est et vana habenda, cujus demendae causa in memoriam revocare sufficere mihi videtur, ut hominum perfectio longissima eademque vero certissima efficiatur via, qua re ex aberratione hominum, quo jure eos plane a virtute defecisse concludatur, intelligere non possum. Eo magis vero assiduum impigrumque in exstinguendo malo inveterato et pervagato collocare studium omnes decet, omnibusque cedit honori. Et revera nostris temporibus permulti viri juris peritissimi laudando flagrantes studio legum et rogandarum et ferendarum de supprimendo duelli crimine, multa effecerunt, multa sunt effecturi, praesertim quum variissimis modis et rationibus a legum scriptoribus duellum, an puniendum sit, an non, examinandum sit, quibus haud comparatis atque ponderatis quod maxime cum veritate sit consentaneum atque qua via eo, quo velimus, perveniamus nulli essent inventuri. Huc accedit, quod, si duelli usum invictum malum habentes impunitum feramus, hominibus ampliorum ordinum repugnantiam et contumaciam leges nihil curantem objicimus, eorumque talem esse morum pravitatem, *qualis* legibus frustra impugnetur, fatemur.

Jam indulgentiam et clementiam benevoli lectoris omnibus precibus petiisse volui, non ignorans, me librorum scribendorum plane ignarum, justam, fortasse asperiorem gravioremque collecturum esse reprehensionem his primitiis editis, quibus patefiet primoribus tantum labris jurisprudentiam me gustasse, tantumque abesse, ut penitus eam cognitam habeam, ut e contrario cognitiones meae, si quas paraverim, quam sint leves atque exiguae in lucem protulerim. Nullam nimiae festinationis meae in tractanda materia levitatisque opinionum, quas allaturus sum excusationem, excepta una, quod tempus conficiendae dissertationi constitutum terminis nimis angustis erat circumscriptum mihi proferendam esse credidi.

Nihil est cur materiam nobis explicandam de crimine, quod duellum vulgo dicant, inutilibus ornem commendationibus, nam se ipsa commendat; nihilominus lectoris animum ad magnam ejus utilitatem adtendendum putavi, quia legum scriptores operam quam potuerunt maximam in exstinguendo duelli usu collocantes in aliis civitatibus paululum,

Digitized by Google

in aliis plane nihil effecerunt, ita ut proximis temporibus difficillima quaestio sit proposita, quo potissimum modo duellum possit exstirpari. Quam quidem animo agitanti facillime est intellectu multo majorem metui ignominiae, quam poenae, etsi gravissimae inesse vim homines ad faciendum omittendumve commovendi. Jam transeamus ad indagandam atque explorandam duelli originem, quam ex antiquissimis deducendam esse temporibus multi jurisconsulti sunt arbitrati. Nec vero ullus scriptor testis est, duellum apud veteres, atque praecipue in Graecia aut in imperio Romano in usu fuisse. Ut exemplum viri pugnacissimi atque fortissimi afferam, Achilles ante omnes mihi videtur nominandus, quem, ignominia accepta, lacrymas profudisse scimus; eodemque fere jure Julii Caesaris mentionem facturus sum, quem ebrietatis argutum, atque juventutem suam Bithyniae regi vendidisse accusatum, gladium in vaginam recondidisse cognovimus. Non plane dissimilia duellis hodieque usitatis certamina singularia, antiquissimis temporibus consueta, fuisse videntur, quae duo milites, vel delectu destinati, vel sorte ducti ita inire solebant, ut victoriae fortuna a felici et fausto hujus pugnae eventu dependeret. Notissimum illud exemplum Horatiorum et Curiatiorum lectoris obversabitur animo. Nihilominus vero vehementer erraret, qui illius temporis pugnas cum *nostris* confundens illas his pares judicaret. Nam tunc unus pro gloria militum, pro dignitate populi, pro salute omnium dimicare, illa aetate magno animo, amore patriae et communis utilitatis accensus eoque certare consilio ut praesentes procinctique exercitus majorem evitarent caedem, ut milites vitam reipublicae debitam tam diu servarent, quam integra civitate possent; tunc non solum victor laudes assequi, sed etiam qui inferior discessit, dummodo fortem ac strenuum se praebuisset militem. Quid dicam de hodierni temporis duellis? Quibus res a duellantibus (quo quidem verbo duello confectores appellare mihi liceat) gestas efferam laudibus? Nostra enim certamina duella dicta in occulto, propter offensiones contemtione potius, quam armis puniendas, propter nugas et altercationes solent haberi. Quibusnam colendus est honoribus qui adversarium suum fortasse reconciliatum vulneravit, quamnam gloriam sodalis ex interfecto sodali, vel etiam amicus ex necato consequitur amico? Illa aetate magistratus certamen singulare omnibus ornabat honoribus, sacerdotes ceremoniis ut ita dicam consecrabant; quisnam hodie duellum rationibus ad persuadendum appositis defendere conabitur? Posterioribus temporibus perversa exorta est sententia, Deo juvante, in litis dijudicandis eum esse obtenturum, qui justam causam haberet, quapropter partes controversiam inter se habentes aut pugnae conserendae se offerebant,

Digitized by Google

ant, si causa difficilioris erat indaginis, ad explorandum, quid verum esset, a judice oblatum inibant certamen. Montesquieu, Esprit des lois, l. 28. c. 18., haece pugnas judiciales eum in finem esse introductas contendit, ut jurumjurandorum abusui, qui irrepuisset, occurreretur. Quod quidem certamen judiciale, coram judice initum, ut cognoscere posset, num crimen subesset, nec ne, vel num controversia pro actore dirimenda esset, an pro reo apud omnes a Germanis oriundos populos reperiri constat. Germani certamina singularia, quae Dei judicia vel ordalia nominantur, a Burgundionibus acceperunt, qui Gallia occupata in Gallos ea transtulisse feruntur. Conf. leg. Burgund. tit. 35. Mulierum, senum, infantum, sacerdotum, qui contendere non valebant, erat pugnatores mittere, qui illorum vice, certamen juvenili aetate dignum committerent. Quoties vero pars condemnata in sententia judicis non acquiescens venalem ei animum vel injustitiam ei objecisset, toties hic cum conviciatore in arenam debebat procedere. Quae quidem Dei judicia, quibus variae institutiones alius generis, exempli causa experimentum, quod dicunt per ignem, vel per aquam substituebantur, per longum tempus in usu fuisse, quamvis immania eademque absurdissima omnibus viderentur, in vulgus est pervulgatum. Sed dissimillima illius atque nostri temporis certaminum erat indoles; tunc enim nulli, nisi pugnam conserendo, locus dari solebat veritatem investigandi viae, nec ulli licebat certamen ineundum recusare, nisi causa cadere mallet. Quosnam nunc qui victor extitit ex duello admisso percipit fructus? Nonne duellum confectum ei incommodo potius erit, quam commodo, nonne dedecori potius, quam decori ei cedet? Quotusquisque vero minoris aestimabitur, nisi ab hominibus depravatis et perversis, quoniam provocatus pugnam detrectavit? Jam modum ac rationem, qua tunc Dei judicia exercebantur explorantes nec minus illa, quam alia certis regulis ordinari solere invenimus judicia, ita ut nemini, qui praesentibus pluribus hominibus crimen perpetrasset certamine singulari confecto innocentiam suam probare liceret. Nam si in vulgus erat pervulgatum, reum crimen fecisse, vel si quis in delicto admisso deprehendebatur, inquisitione generali, quae dicitur, omissa, leges in hominem maleficum applicatas fuisse scimus. Veruntamen terribilem in modum illis temporibus certaminum singularium judiciis introductorum atque quodammodo fautorum numerus coepit augeri. Jules Jolly in libro suo: Du duel et de sa législation. Paris 1838. p. 9. Pourquoi, ait, nous trouvons nous en ce moment dans la nécessité de combattre un fléau, qui aujourd'hui déshonore notre société, lui, qui autrefois était regardé comme une volonté divine? Car il ne faut pas s'y tromper, c'est à la réligion,

Digitized by Google

unie à la religion incomprise, qu'il faut attribuer l'origine du duel. Historiam offerre mihi liceat, qua, etiam principes duelli usui studuisse, sive ipsi pugnarent, sive tantum certaminum singularium auctores amantesve existerent, manifestius apparet. Othonem, Imperatorem, anno 968 cum Germanorum comitibus nobilibusque magnas de instituendo jure repraesentationis habuisse deliberationes, Sigebertus, monachus, memoriae prodidit, quarum disceptandarum gratia doctores doctissimi consulebantur. Quibus in consilium adhibitis quum res nihilominus dubia eademque abstrusa videretur, Imperator, longis inutilibusque consultationibus fatigatus liti finem imponere apud animum constituens duos nominavit pugnatores, qui alter pro alter contra jus repraesentationis certarent. Illum victorem e pugna evasisse, qua re tam sibi ipsi, quam instituendo juri repraesentationis paravit victoriam, cognovimus. Ab eo inde tempore papae, episcopi et concilia execrationes atque anathemata et provocantibus et provocationes accipientibus denunciare, nec non imperatores regesque ad delendum duelli crimen se conjungere, sicuti Luithprandus, Longobardorum rex, Fridericus I. constitutionibus Siciliae statutis, Fridericus II. in Austria, Eduardus in Anglia, Ludovicus sanctus in Gallia operas suas licet inutiles in supprimenda impendere duella. Conf. Miguet: *De la féodalité* des institutions de St. Louis et de la législation de ce prince. Paris 1822. Beugnot: Essai sur les institutions de St. Louis. Paris 1822. Quo factum est; ut paparum constitutionibus atque edictis saeculo tredecimo datis et jurisdictione emendata certamina judicialia sicut alia Dei judicia vel ordalia pedetentim coercerentur eorumque loco ludicra equitum certamina haberi inciperent. Quum tandem ludus equestres una cum equitibus illius aetatis evanuissent, duella demum talia sunt exorta, qualia nostris temporibus fieri scimus. In Germaniae universitatibus litterarum ante bellum per 30 annos gestum nullum duellorum confectorum vestigium est repertum. Jam ratione, qua duellum originem duxerit latius explicata, animum ad rem vere memorabilem convertamus. Cuinam mirum non videatur, duellantes ad unum fere omnes superioribus ordinibus esse adscriptos et revera incredibile est, duellum per viros humanitate politos eosdemque solos perpetrari, incredibilius vero, per plurimos annos imo per duo saecula hoc crimen in usu fuisse, quum laesi magnum animum, offensiones, quibus laedentis mala et detestabilis manifestatur animus, nihil curantem probare probro atque dedecori esse semper solerent opinari. Quod quum vero ordaliorum ad indagandam veritatem institutorum utilitas quaedam exstitisse videatur, nostra duella qua re, queve

Digitized by Google

modo prosint, me plane nescire non erubesco. Huc accedit, quod singulis paene annis plura committuntur duella, quibus sollicitati parentes pavore quodam et anxietate animi turbati filios suos omni vitae experientiae saepius expertes ad altiora studia colenda in academiam se conferentes solent dimittere. Et profecto multo major parentum existeret anxietas, si quam multa duella conserantur comperirent, si juvenem quietissimum quemque, maximeque concordiae studio ornatum pro rerum temporumque conditione quodammodo coactum esse posse sodalem laedentem provocare aut hujus provocationem accipere, scirent. Quis igitur preces sororum fratrem in academiam, multitudine duellorum confectorum famosam abeuntem etiam atque etiam rogantium, ut duello se abstineat, stultas ac inanes dicere audebit? Licet enim plurima duella nullo vulnere graviore facto, conficiantur, quin ictus pulmonibus inflicti, quibus vulneratus per totam suam vitam laborare atque plane inutilis reddi possit ad labores contentius subeundos, saepius fieri soleant nulli dubitamus. Nihil dicam de iis, qui gladio transfixi aut continuo, aut nonnullis diebus hebdomadibusve praeteritis extremum vitae spiritum ediderunt, quia satius duco silentio praetermittere, quod omnibus animo obversatur. Multo rarius, adversariis caesim pugnantibus, graviora vel mortifera inferri solere vulnera, ita ut sauciatus plagis, nisi temporibus illatis quod ad valetudinem ut fere fit nullum capiat detrimentum, quamvis vultus suus iisdem valde possit deformari, omnibus constat. Jam rationes allaturus sum, quibus permoti multi viri praeclara eruditione atque doctrina ornati, duelli usum ut malum quodammodo necessarium ferendum ac retinendum, imo vero etiam commendatione adjuvandum esse censent. Nougarède de Fayet in libro suo: *Du duel sous le rapport de la législation et des moeurs*. Paris 1838. pag. 34. Duellum inservire, ait, tam ulciscendis quam prohibendis offensionibus, multumque conferre ad observantiam, quam aliis debemus, sustentandam, integramque sui ipsius existimationem servandam. Mihi liceat sua ipsius afferre verba: Le duel sans doutes a des dangers, il est sujet à des abus, mais de quoi donc les hommes n'abusent ils pas? n'ont-ils pas abusé de la liberté même. Le duel a des dangers! eh! qu'on me cite donc une institution, si utile et si élevée qu'elle soit, qui n'ait pas les siens: n'est ce pas à force de travaux et de périls, que nous avons conquis ces droits, qui nous sont si chers? Licet, quod sit auctoris laudati ingenii acumen, quo materias vel difficillimas solet tractare, nullas ignorem, argumentationem modo allatam nulla ratione mihi comprobari infitias ire non possum, quum quodvis duellum abusus mihi videatur juris se suosque contra infestos aliorum defendendi impetus, quia causae suae tuitio legibus

Digitized by Google

omnino vetita est, nisi republica quaerenti tutelam praestare non valente. Quis vero in dubitationem vocabit, quin duelli usus certis regulis ac legibus coercitus mitioribus plectendus sit poenis, quam quum quasi extra cancellos egressus nimium jam invaluerit. Neque non Fayet in alio versari mihi videtur errore, quum utilitatem et necessitatem duelli ex eo conjecerit, quod etiam duellis alienissimi imo inimicissimi ad hanc rationem controversias suas dirimendi soleant advolare; nam necessitate constitutum esse existimat, quod potius infirmitati atque imbecillitati hominum est attribuendum. Sunt quoque qui duelli usum eo comprobandum esse contendant, quod honor et fama vitae sit anteponenda. Sed quo jure existimationem, qua gaudemus, laesam habemus, si homo ebrius ignominia nos affecerit, si juvenis certaminum faciendorum avidissimus aut iracundia inflammatus vel vultibus mutatis, vel acerbis dictis vel asperioribus et pungentibus facetiis ad duellum conficiendum nos incitare studuerit, si denique homo rudis et impolitus verberando vel feriendo eundem quem ille assequi voluerit finem? Existimationem integram retinebit, optimeque famae suae consulet quicunque ejusmodi offensiones justa sua castigabit contemtione. Insuper respublica aptissimam nobis suppeditare solet viam rationemque, qua adhibita contra omnes injuriarum auctores nos defendere possumus. Alii duellum defendunt, quod cives duellis commissis arma ex arte tractare discere, quod habilitatem corporis exerceri, robur viresque confirmari, fiduciam quandam virium et contemtionem vitae nasci, arbitrantur. Quae quidem commoda, duelli usu valente adipiscenda, revera tanti mihi videntur aestimanda, quantis facile ad concedendum vel etiam ad probandum duellum permoveri possem, si eadem alia nos consecuturos sperare non possemus via. Nonne vero milites aliis iisdemque minus periculosis uti possunt armorum exercitationibus, nonne verus animus hominibus innatus atque natura insitus, ita ut duellis saepius confectis neque excitari soleat neque confirmari? nonne qui plurimis certabant duellis saepissime inhabilissimos, adeo ignavos se gerebant milites? Quotaquisque occasio vero seriori vita exercitationem, quam nacti sunt, animumque manifestandi solet offerri juvenibus, qui ad munus publicum gerendum informantur, qui jurisperiti, sacrorum antistites, medici aut viri docti patriae operas suas sunt navaturi? Quod ad rationem, a quibusdam jurisconsultis allatum, ut militibus et litterarum studiosis duellum opus esset, quia sodalitate quadam conjuncti viverent, quae duella requireret, me intelligere non posse, quam ob rem sodalitas, duelli usu non valente, existere nequiret, infitias ire nolui. Nam experientia edocti scimus, veteres

populos, neque non Graecos et Romanos duellum tale, quale nunc confici solet, plane ignorasse, nihilominus vero probitate, magno amino, virtute primum inter omnes et obtinuisse et adhuc obtinere locum, intimasque amicitias et sodalitates contraxisse. Si vero, quo absurdius ineptiusque nihil cogitari potest, opinionem praejudicatam secuti cum tantum probum ac bonum haberemus hominem, qui provocatus duellum conserendum suscipere aut ignominia affectus adversarium suum provocare non dubitaret, probitas de armis scite tractandis dependeret, atque facillimus quisque ad pugnas ineundas probissimus optimusque esset ducendus, indeque consequeretur, ut pessimus quisque idemque pravissimus impunitus existeret, imo dignus censeretur, qui laudibus efferretur, dummodo gladium perite vibrare calleret. Apud Romanos gladiatores, qui quotidie immanem praebebant animum, fortitudini, ne dicam audaciae vel temeritati, haud dissimilem, contemti vivebant, repudiatique, licet intrepidum atque timoris plane expertem saepius ostenderent animum. Clarissimus Mongalvy (Nouveau projet de loi sur le duel. Paris 1833. p. 15.) optimo jure, duellum ideo quoque esse reprobandum contemnendumque dicit, quod honoris naturae repugnaret, ut vir armorum tractandorum plane imperitus provocationem multo magis versati in arte rudibus batuendi susciperet. Fortasse lectorem benevolum, quid Montesquieu amplissimus de certaminibus singularibus senserit, cujus verba duelli usum spectantia allaturus sum, cognoscere juvabit. Entre les citoyens, celeberrimus ille scriptor dicit, le droit de la défense naturelle n'emporte pas avec lui la nécessité de l'attaque. Au lieu d'attaquer; ils n'ont qu'à recourir aux tribunaux. Ils ne peuvent donc exercer le droit de cette défense que dans les cas momentanés où l'on serait perdu, si l'on attendait le secours des lois. Mais entre les sociétés le droit de la défense naturelle entraine quelquefois la nécessite de l'attaque, lorsqu'un peuple voit, q'une plus longue paix en mettrait un autre en état de le détruire, et que l'attaque est dans ce moment le seul moyen d'empecher cette déstruction. Porro a multis jurisconsultis ad defendendum duellum in medium proferri controversias, quibus saepius amicissimi ab amicitia averterentur, duellis confectis dirimi, simultates, licet per longissimum tempus exercitas, in perpetuum componi solere, nemo est qui nesciat. Sed primum ansam duelli non utique, imo rarius in inimicitia inter sodales exorta, esse quaerendam maxime inde patet, quod amicissimi saepius duello contendere adeoque usque ad conserendam pugnam amantissime inter se vivere solent. Tum vero nemo in dubitationem vocabit, quin inimicitiae simultatesque duorum adversariorum gratia reconciliata prosperiore cum successu dirimantur, quam duello ab

Digitized by Google

eisdem admisso. Eandem sententiam protulit illustrissimus de Savarin his verbis locutus: Il est rare, que les haines survivent à un combat après lequel on est obligé d'estimer celui, qui a offert satisfaction de bonne grace. — Omnibus fere excusationibus, quas ad defendendum duelli usum a doctissimis prudentissimisque viris allatas esse compertum habeo, pro viribus meis, licet exiguissimis, refutatis, ut unicae adhuc eidemque majoris momenti respondeam restat. Miles, imprimis vero dux militum (quorum privilegium duellum solet haberi) ignavia vel timiditate objecta, quo quidem vix gravius militi potest inferri probrum, quoniam eo prima et ante omnes alias necessaria ejus virtus in disceptationem vocatur, quin duello commisso probrum falsum et iniquum quodammodo probaverit, non est, quod dubites. Quam quidem excusationem in duellis, a viris alii ordini adscriptis, perpetratis jure afferri non posse nemo negabit. Nam neque tanta animo cogitari potest injuria pagano illata, quanta militi objecta ignavia censenda est, neque ullum aliud, quam ignaviae probrum duello confecto falsum ac temere jactum quodammodo probatur.

Certissimi vero juris est, duellum eo leviore plectendum esse poena, quo gravior exstiterit offensio antecedens, quae provocationi ansam praebuerit. Ceterum militem cognita virtute atque probitate duellum recusentem optimorum quorumque comprobatione laudibusque esse fructurum mihi persuasissimum est, quum gravitatis et liberalitatis sit injuriam acceptam non ulcisci, minuti vero angustique animi humiliore, ultione supersedere non posse. Jam ad aliam benevoli lectoris animum convertere mihi liceat quaestionem revera haud indignam, quae accuratius disquiratur atque investigetur. Ex quibus causis, undeque plurima emanare solent duella? Omnibus fere duellis ex more laesionem quandam existimationis factis verbisve illatam, factumve, quo quis violatum se putaverit; quamvis revera nullam laesionem contineat, antecedere solere ad unum omnibus constat. Quodcunque vero sub honoris laesione sive injuria sensu strictiore intelligendum sit certis verbis vix explicari posse mihi videtur, nisi generali acquiescimus definitioni, qualem hanc fortasse proponerem: factum verbumve legibus contrarium, quo quis alium, quod ad ejus jura existimationis vel famae offendit. Sed res difficillima est singula facta, quibus homines uni eidemque ordini adscripti injuriantur enumerare, plane impossibilis recensere, quibus omnino hominum, cujuscunque conditionis sint, existimatio violatur. Hue fere omnia ad contumeliam accipiens se violatum putabit, si quis consuetam urbanitatem neglexit minusve comiter et officiose se gessit, ille contra aspere dicta et convicia, quantumvis sint gravia, nihil curabit. Alius qui os adversarii

Digitized by Google

percussit, ipse utut antea verbis graviter laesus, jus arma eligendi, quibus in certamine ineundo uterentur, sibi vindicare conabitur. Itaque omnes offensiones, prout graviores asperioresve vel leviores atque minoris momenti sunt, in varia genera dividendas esse censeo, quod alioquin tales puniendae essent, quales sentiuntur. Quid vero incertius est atque infidius sensu, quid varius et mobilius ingenio humano? Distinguendae nobis videntur laesiones, quae utique poenis sunt vindicandae, quibusque illatis existimatio ex vulgi opinione violatur a factis dictisve quae, quum a nemine nisi laeso injuriarum instar considerentur, nulla poena plecti possunt.

De Chatauvillard comes jurisperitissimus (vid. Essai sur le Duel. Paris 1836.) discernit l'offense, l'offense avec insulte grave et l'offense avec coups ou blessures, ita ut pro vario offensionis genere laeso certa oriantur jura ac privilegia, quibus in conserendo duello fruatur. Leviori injuria affecto armorum eligendorum potestatem dari, gravioribus et atrocioribus contumeliis offenso et arma quibus in certamine pugnetur eligere et genus duelli statuere licere, verberibus percusso aut vulneribus, insuper, quantum inter se et adversarium suum intercederet spatium in conficiendo duello, ex arbitrio suo decernere permissum esse debere, justis de causis defendit. De gravioribus injuriis nec ullum verbum faciendum mihi videtur, quum, quo majores inferantur, eo minus laesionem quandam subesse possit negari. Quae quantaeque nugae vero multis, imo plurimis offensioni esse soleant plane a fide abhorrere videtur; nam vox per jocum dicta, dissensio ulla de re nata, neglecta consueta urbanitas sufficit ad commovendum virum genere nobilem praesertim militum ducem, ut eum, per quem se violatum putet, provocet ad pugnam ineundam. Etiam difficiliores ac morosiores se praebent litterarum studiosi, qui omnia ad contumeliam accipientes saepissime nihil curant, num causa aliqua duelli faciendi, quodammodo excusanda, existat, an non; quibus, quodcunque innocentissimo dicitur animo, injuria crebrius videtur, qui, ut exemplum afferam, si quis iis blandiretur aut laudes tribueret, malum supponentes animum ejusmodi dictis se offensos putare solent. Neque non plurimorum duellorum causam in inhabiliore se gerendi ratione aut in inscientia quadam vitae esse quaerendam neminem, aliquamdiu in academia versatum, fugiet. Item silentio praetermittere non possum, quantumvis velim, maximum duellorum numerum nasci e juvenilis aetatis fervore, ex ebrietate, vel vano multis duellis factis inter sodales excellendi studio. Et tantum abest, ut, quo graviores existant injuriae, eo plura committantur duella, ut e contrario Livingston celsissimi sententiam secutus contendere ausim, rarius ea

majoribus exprobratis criminibus, quam ex objectis levioribus delictis duella originem ducere, quoniam gravioris sceleris accusato sese defendendi crimenque propulsandi facultas a civitate omni tempore datur, respublica vero minus curat de exiguis delictis atque de leviore damno, laeso ejusmodi facinoris accusatione, illato. Conf. Opinion de M. LIVINGSTON sur le duel et sur la manière de la réprimer. Paris 1829. p. 7. Neque non injuria affecti viam facti tardiori legitimae viae jus suum adipiscendi ideo anteferre solent, quod pro certo haud sciunt, an judex de laesionibus et offensionibus existimationis idem sentiat, nec ne. Nam quo jure quodcunque factum, quaelibet vox legibus puniri potest, quibus se laesum quis dicat? Nonne hac re factum verbumve innocentissimum in poenam incurreret?

Jam ad rem majoris momenti nos convertamus, in qua fortasse causa est quaerenda, cur in Germania abhinc pluribus annis duellorum usus tantopere crescat. Nempe temporibus, quibus cives ad res graviores cogitationes intendunt; exempli gratia ad defendendam patriam, duella multo rariora esse, quam tempore otii et pacis; experientia cognovimus. Vid. BATAILLARD: Du duel p. 60. Porro notatu quam maxime dignum mihi videtur, quantum tempora et conditiones, quibus vivimus, conferant ad committenda vel *omittenda* duella. Multae offensiones, multaeque acerbae atque mordaces voces, sive animo injuriandi sparsae, sive non, nisi praesentibus aliis hominibus fuissent illatae, nullo modo duellorum perpetrandorum causa existerent. Quid enim juvenis alius auctoritati et voluntati obnoxius, patrono suo ne dicam domino jubente, facere recusabit? Nonne facillimum se praebebit ad ineundam pugnam, quum ei timendum sit ne, certamine recusato eos offenderet, ex quorum arbitrio pendet, quorumque animus opinione occupatus tenetur, omnem laesionem sanguine fusa esse ulciscendam. Itaque maximam afferret utilitatem, si juvenes alienae adhuc potestati subjecti, per parentes et magistratos suos docerentur, quibus de causis duelli usus potissimum vituperandus sit, atque bonas acciperent instructiones de optima vitam hominibus ac rerum temporumque conditioni accomodandi ratione. Vid. PINET: Le duel en jurisprudence et en législation. Paris 1829. p. 289 seq. Jam difficillimam eandemque saepissime in disceptationem vocatam quaestionem de optima duelli puniendi ratione propositam habemus, cujus dissolvendi gratia ante omnia statuendum mihi videtur, quod sub voce duelli sit intelligendum. Qua propter hanc fere definitionem benevolis lectoris sapienti commendarem judicio. Duellum est certamen duorum hominum armis absolute mortiferis eoque consilio initum, ut existimatio vel fama alterius aut laesa restituatur aut illaesa servetur,

Digitized by Google

sive: pugna de qua convenit inter duos homines armis absolute mortiferis ad restituendum, quem laesum putant honorem atque secundum certas praestitutas regulas facta. Dua duelli voce sensu latiore continentur pugnae genera, tam duellum significatione modo allata, quam certamen singulare mutue et inopinatu impetu ortum. Conf. Feuerbach, jus criminale §. 190. Martin, jus criminale §. 249. Heffter, jus criminale pag. 393. Quam quidem quaestionem, an duellum, puniendum, quibusque plectendum sit poenis ex jure communi plane integram et dubiam relictam esse plurimorum eorundemque illustrissimorum una est sententia jurisconsultorum. Conf. Mittermaiers cels. *Aufsatz im Archiv, neue Folge. I. S. 340.* Nihilominus vero locos juris romani ad defendendam contrariam, sententiam laudatos consideremus ac perscrutemur necesse videtur. In lege 14. §. 6. D. de bonis libertor. XXXVIII. 2. agitur de auxilio, jure communi non utique vetita, quod patroni filius sibi ipse tulit, quodque hoc loco eo excusatur, ut filius impetu liberti ad certamen provocatus et incitatus subtiliter secum reputare non possit, quatenus auxilium sibi ipsi ferre liceat. Duellum, lege ac ratione adjumenti, quod quis sibi ipse attulit, nullo modo judicari posse infra demonstrare studebimus. Praeterea conf. Feuerbach jus criminale §. 190. in nota. Heffter jus criminale pag. 393. Neque lege 7. §. 4. D. ad leg. Aquil. IX. 2. duellum vel poena vacuum vel animadvertendum esse, probari mihi videtur, quod Romanorum luctatio pugnarumque usus permissa corporis exercitatio erat, cujus finis nostri temporis exercitationibus armorum militum et arti gymnasticae a juventute cultae maxime responderet. Altero autem pugnantium interfecto, alter poena solutus erat, quippe qui habiliorem aptioremque ad defendendam patriam sese reddendi officio satisfaciens, majori utilitati publicae minorem postposuerat salutem privatam. Nec vero ulli verba: „plane si cedentem vulneraverit, erit Aquiliae locus,“ legenti, quin pugil romanus poenam subiret, si ira aut malitia ductus adversarium occidisset, dubitatio potest afferri. Lege 1. §. 6. D. de postulando III. 1. Romanos ex robore corporis atque fortitudine sua lucrum facientes alieno nomine agere vetitum est. Denique lex 3. D. de bonis eorum, qui ante sint. XLVIII. 21. immerito ad duelli usum trahi mihi videtur, quum tantum de morte voluntaria, quod ad naturam et indolem facinoris a duello dissimillima, in hoc loco agatur. Quibus quidem legibus, quae a multis ad duellum poena vel dignum vel indignum probandum proferri solent, breviter refutatis ad jus canonicum nos convertamus, quo praesertim edicta ad clericos et sepulturas pugnatorum in duello occisorum spectantia continentur. Conf. J. H. Boehmer, Jus ecclesiasticum Protestantium. Lib. III. t. 28. §. 50. c. 1. et 2. X. de torneamentis

Digitized by Google

V. 13. — c. 1. et 2. X. de clericis pugnantibus in duello V. 14. et Conc. Trident. sess. 25. de reform. c. 19. quo quidem statuitur," ut omnes principes quorum in territoriis iis conseiis monomachia conficiatur, eo ipso sint excommunicati ac jurisdictione et dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, et si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur; excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae juxta sacros Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in jure quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemoriali."

Maximam in exstinguendo duelli usu collocabant operam papae NICOLAUS (an. 858), ALEXANDER III. (an. 1172), conf. c. 1. X. de clericis pugnantibus in duello V. 13. COELESTINUS (an. 1191 et 1195) c. 2. X. eod. JULIUS II. (an. 1505) vid. liborum sept. Decretalium *lib.* V. t. 17. c. 1. LEO X. (an. 1513) c. 2. eod. Quod ad juris canonici locos duelli usum spectantes canonumque auctores dissertationem inauguralem de duello ejusque puniendi ratione (Groningae 1830) praesertim pag. 27 — 33. doctissimi viri JOHAN. WICHERS Quintus magnopere commendasse volui. In CCC. nullam invenimus legem, qua duellum aut permitteretur, aut interdiceretur, quum articuli 139 et 145, qui a quibusdam jurisconsultis ad sententiam contrariam firmandam et probandam allegari soleant, de inculpata tutela loquantur, inter quam et duellum magnum intercedere discrimen luce clarius est. Unicum habemus decretum in Comitiis Germanici Imperii datum, qua de quaestione proposita agitur. Quo quidem statutum fuit, ut duellum attentatum, licet sine caede commissum, infamia et pro rerum temporumque rationibus, relegatione, fustigatione, ultimo supplicio plecteretur; duellum vero, quod mors fuerit insecuta, ita coerceretur, ut qui occidisset, sive fuerit ipse provocans, sive provocatus tantum, sive auctor rixae, sive minus homicidii poenam sustineret. Praeterea interfectus asinina sepultura erat afficiendus (vid. c. 1. 2. X. de torneamentis V. 13.) neque sociis poena remittenda. Vid. *Reichsgutachten vom 30. Juli 1688 und Kaiserliches Cammerdecret vom 22. September desselben Jahres.* Sed in magna varietate et

dissensione jurisconsulti de hocce decreto versantur, cui alii legis vim tribuendam esse affirmant, alii negant. Qui legis vigorem ei ascribunt, hoc praecipue utuntur argumento, quod consultum illud decreto Imperatoris d. d. 19. Decembris 1668 utpote legis vim habens fuerit agnitum. Inter hos prae ceteris nominandi sunt J. H. Boehmer, *Jus ecclesiasticum Protestantium*. Tom. II. pag. 1084. Koch, Compendium juris criminalis. §. 421. Klein, *Grundsätze des gemeinen deutschen peinlichen Rechts*. §. 287. Salchow, *Lehrbuch etc*. §. 504. in nota I. Nihilominus judici ex jure communi dijudicanti hujus decreti rationem ducendi potestas deneganda mihi videtur, quum idem unquam esse promulgatum vix possit probari. Conf. clarissimi Mittermaier commentationem subtilissimam hac de re tractantem (*Archiv des Criminalrechts. Neue Folge. I. Band S. 340.* celsissimi Rosshirt, *Geschichte. II. S. 175.*) quoniam omnes hac lege teneri haud putabatur et quod ordines imperii germanici anno 1680 contradictionem suam ei opponebant. Cujus quidem sententiae mihi probatae praeter Mittermaier et Rosshirt viros amplissimos multi doctissimi jurisque peritissimi extiterunt defensores ut C. A. Tittmann, *Handbuch der Strafrechtswissenschaft*, §. 265. in nota (a); A. Bauer, *Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft*, §. 335. in nota d. Quae quum ita se habeant, quaeritur, cuinam duellum aequiparandum atque adnumerandum sit crimini, quibusque suppliciis sit plectendum, si legibus specialibus in aliqua terra peculiares poenae duello certantibus pronunciatae haud inveniantur. Parem rationem inter duellum et mortem voluntariam intercedere, eoque illius impunitatem consequi jurisconsultorum nullus contendere perget. Nam si vix plures reperirentur, quibus duello facto adversarios suos interficiendi esset animus, inauditum et novum esset habendum, si quis duellum eo consilio iniret, ut mortem oppeteret. Plurimi nec ullam sibi illatam contumeliam se perpessos esse aut omnino duellum faciendum non recusavisse dicundo contenti, rerum temporumque rationibus quodammodo adacti, pugnare solent. E contrario quidem nemo in dubitationem vocabit, quin omnibus temporibus invenirentur et adhuc possent inveniri, qui magnam adeo maximam ex duellis confectis vel ineundis capiant laetitiam atque voluntatem, quum quidam homines nullis, nisi rebus absurdissimis et ineptissimis oblectari videantur, sed talium minimum existere numerum contendere ausim. Maxime de consilio et animo eorum, qui duellum perpetraverunt, judicanti considerandam commendarem naturam offensionis duellum antecedentis exquirendumque pugnatorum ingenium atque indolem, quibus cognitis ne vehementius erret, vix est metuendum. Contumelia graviore et acerbiore affectus atque odio iraque

Digitized by Google

inflammatus propensiorem praebebit animum ad adversarium vel gravius vulnerandum, vel etiam occidendum, quum praecipue in duellis litterarum studiosorum, quibus duellorum faciendorum studium ut liberis pietas erga parentes innatum et natura insitum esse videtur, adversarios suos interficiendi animus ex more nequaquam sit praesumendum.

Nam si quis vulnere adversario illato in sinu gaudeat, propterea tantum laetitia quadam afficitur, quod hac re a sodalibus suis victor habetur, et peritiam dexteritatemque armorum tractandorum manifestavit. Maximo vero numero certantium sufficit duellum fecisse, sive adversarios vulneraverint, sive minus, nihil aliud spectantes, nisi ut ignaviae officio occurrant. Aliam sententiam de puniendo duello defendit celsissimus Jolly, Du duel et de sa législation. Paris 1828. pag. 21. Duellum crimen esse, contendit, ex homicidio et morte voluntaria compositum. Cui quidem sententiae variis permotus rationibus subscribere non possum. Primum pugnans ut fere fit neque adversarium suum vita privare intendet, neque per eundem caedi volet, tum cogitatione mihi fingere nequeo, eundem hominem et mortem sibi ipsum consciscere et ab alio necari posse. Accedit, quod rarissime uterque pugnantium duello cecidit. Neque duello eadem, quae crimini vis inesse mihi videtur natura atque indoles, quod pactum de utendis armis antecedere solet (vid. clarissimum Mittermaier, *Archiv des Criminalrechts. Neue Folge. I. S.* 344.) quum quicunque opinione praejudicata ad duellum committendum cogeretur nulla affici posset poena et quia, quod quum ita esset trita illa regula juris violaretur: nulla vis est in volentem. Nihilominus sententia modo allata, quam refellere conatus sum, a doctissimo eodemque jure meritoque maxima fruente auctoritate Martin probata est, atque defensa (jus criminale §. 249.). Quod si fortasse occurritur, in provocatione revera vim quandam internam sive psychologicam, ut ita dicam, inesse, ante omnia notandum nobis videtur, sub vi illata psychologicam quoque vim posse intelligi, vix ab ullo probatum iri. Praeterea in omni duello alter pugnantium, quippe qui coactus erat, poena vacuus esse deberet, quod ideo fieri non potest, quod duellum, ut infra ostendere studebimus, non eventu ponderandum sed ut crimen speciale est puniendum. Et multae profecto existerent difficultates statuendi, uter poenam subire, uter absolutus esse deberet poena, quod quidem ex eo pendere, quis pugnantium provocaverit, quis provocatus exstiterit, nemo est, qui contendat. Nam saepius tantum injuriae est apud provocatum, quantum apud provocantem. Nec

Digitized by Google

hac de re viros jurisconsultissimos recentioris aetatis exempli gratia Mittermaier, Zachariae, Rosshirt, Martin, Waechter, Henke, Bauer, Heffter, Feuerbach inter se discrepare scimus; quum veteres jurisperiti in agendis causis procul dubio exercitatissimi, quorum unum tantum eundemque illustrissimum nominare mihi liceat Carpzov, semper sententiam tueri solerent, provocatum levius esse puniendum, eique, adversario interfecto, ultimum supplicium penitus remittendum. Altero pugnantium in duello interfecto, alter ad summum per quatuor quinqueve annos carcere coercebatur, quia eventus duelli, quisquis erat, negligentiae vel socordiae effectus putabatur. Legislatores illius temporis sententiam, pugnantes consilium quidem se invicem interficiendi non habuisse, sed culpa sua tali se subjecisse conditioni, qualis infaustissimas habere posset consequentias, constanter sunt secuti. Sunt porro, qui duellum auxilio, quod quis sibi fert aequiparandum esse censeant. Sed quaero ex te, benevole lector, quo modo dubium jus ab eo vindicare possumus, qui praestare paratus est, quod possimus? Denique duellum crimen majestatis haberi non potest, quod neque extrajudicialis compositio controversiarum atque rixarum legibus vetita est, neque civitati jus interveniendi competit et quia, quod illustrissimus Heffter acutissime notat, respublica id praebere non potest, rectamve saltem viam nondum inivit praestandi, quod pugnantes ex more duello commisso assequi spectant. Ceterum hanc allatam sententiam nobis sequentibus laedens privatis tantum poenis plectendus videretur, quoniam nulla auxilii vindicatio, juri communi contraria, duello continetur. Vid. Bauer, jus criminale §. 358. Heffter §. 367. Ad quaestionem saepius tractatam et agitatam, num duellum ut peculiare puniendum sit crimen, an alii delicto adnumerandum atque ex consequentiis suis metiendum nos convertentes magnopere de hac re inter se discrepare jurisperitos intelligimus. Ajentem sententiam defendunt clarissimus Mittermaier, *Archiv für Criminalrecht.* Von Braunmühl, *Ueber den Zweikampf und die dessfalsige Gesetzgebung in Baiern. Landshut* 1826. pag. 104. De Perron, Petition contre le duel adressée à la chambre des députés. Paris 1836. Jolly, Du duel et de sa législation. Paris 1838. pag. 53 seqq. J. W. Quintus, dissertatio juridica inauguralis de duello ejusque puniendi ratione. pag. 151 seqq. Contrariam tuentur sententiam den Tex vid. Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving, tom. II. part. I. pag. 110. et von Zeiller, *Noch ein Wort über den Zweikampf, in: Zeitschrift für österreichische Rechtsgelehrsamkeit,* pag. 317. qui legislatori duellorum usum exstinguendi periculum facienti hocce crimen haud commemorandum imo silentio praetermittendum esse arbitratur, duellique eadem esse incita-

menta, eundem finem, easdemque consequentias, quae certamine extra duellum commisso evenire solent existimat. Cui quidem sententiae pluribus commotus rationibus adstipulari non possum; nam primum duelli usus tam inveteratus est et in vulgus editus, ut legibus neglectus, sola oblivione e hominum memoria non facile sit recessurus. Nullo hoc melius intelligere possumus quam Galliae exemplo, ubi per longum tempus nulla de duello ejusque puniendi ratione extitit lex, nihilominus vero illud crimen omnibus fere nota et quam maxime in usu fuit. Secundo loco nihil dicam de fine atque incitamentis duelli, quae quantum differant a stimulis homicidii extra duellum admissi tractanda inferiore in dissertationis parte reservare mihi liceat. Quod ad consequentias duelli, quin minoris esse soleant momenti, quam quae pugnam extra duellum commissum sequuntur, quum duellum certis praescriptis regulis soleat coerceri, nemo est qui dubitet. Silentio praetermittere nolui Mongalvy virum spectatissimum opinionem nobis improbatam amplexum hisque defendisse verbis: Quant à la loi répressive c'est surtout moralement qu'elle (la législation) doit aussi agir, et, pour exercer cette influence morale au lieu de faire du duel un crime d'exception ou de privilège, elle doit le laisser dans la classe commune des meurtres et des blessures. Rationibus et ad ajentem et ad negantem sententiam firmandam allatis accuratius animo perpensis, quin duellum particulari poena plectendum sit in dubitationem vocari non posse mihi videtur. Nam quicunque duello utitur ad servandam vel recuperandam famam regularem jurisdictionem impedit ac perturbat atque valetudini vitaeque periculoso assequi studet modo, quod civitate interveniente legitima ei adipiscenda erat via, ita ut etiam duellum, quo neuter pugnantium laeditur impune ferri non possit. Quod si vero quaestio, num specialis poena in pugnantes sit statuenda dificilioris est indaginis vix credibile est, quae sint difficultates in enucleanda disceptatione, quibus legibus ac regulis judici ex jure communi decernenti, quum certam normam sequi non possit, poenae certantibus sint constituendae. Quamvis nonnulli iidemque jurisconsultissimi scriptores ut Poggi, Martin, den Tex, a Zeiller caedem duello perpetratam eodem puniendam esse contendant supplicio, quo homicidium extra duellum confectum major tamen numerus jurisperitorum mitiorem amplexus sententiam, atque, ut mea est opinio, optimo jure ei qui duello adversarium suum vita privavit leviorem irrogandam esse poenam arbitratur. Conf. Mittermaiers *Aufsatz im Archiv, VIII. S.* 451., *und im Archiv, Neue Folge. I. S.* 348. v. Oppen, *Beiträge. S.* 56. Henke, *Handbuch. III. S.* 604. Meyer, *Vom Thatbestand. S.* 46. Rationes, quibus me ad probandam hanc sententiam permotum

Digitized by Google

intelligo has fere sum allaturus. Primum duellantes conventionem inibant de pugna conserenda, quae legibus non est vetita, qua uterque periculum ingressus, vitae aut corporis integritati infaustissimo, si accideret, eventui se subjecit. Quam ob rem duellum ineuntes tali supplicio digni haberi non possunt, quali sicarii, qui per vim et ex insidiis infelicem hominem, cujus necem apud animum constituerunt, adoriuntur. Neuter duellum patrantium, re praeter opinionem male versa, conqueri potest de altero, quum uterque duello inito se pugnae exitum, quisquis esset, subiturum promisisse videatur. Neque dicentes, utrumque certantium vitam suam in adversarii manus dare, duellum eo, quo decet, modo ponderare mihi videntur. Nam unusquisque corporis habilitate atque agilitate sua certamen ad faustum se conversurum exitum sperat aut fiduciam collocat in casu, quo pugna in meliorem partem mutetur. Alia eademque majoris momenti excusationis causa eo nititur, quod quicunque consilium duelli faciendi ceperit, hoc necessitate quadam cogente et ad evitandum haud leve damnum fecit. Nam quum nobilibus in quibusdam civitatibus verendum sit, ne provocati duellum recusantes ab aula submoveantur, quum collegae ducis militum profiteri soleant se cum illo non amplius militaturos, quum inter litterarum studiosos moris sit, ut quicunque duellum delatum conserere noluerit, infamia quadam afficiatur, omnesque commilitones quam cum eo habebant consuetudinem intermittant, ita ut duellum recusando ingratam quisque ac molestam redderet vitam suam, nihil est cur mireris multas crimen duelli patrare ad evitanda haec incommoda. Quae quum ita sint libertatis animique firmitatis est, si praefectus militum vel litterarum studiosus, qui commilitonibus vel collegis suis nondum virum fortem atque intrepidum duello facto se praebuit, nullum se initurum esse duellum conatur declarare. A multis quidem sodalibus male ac perverse judicaretur aut despiceretur plurimis vel ignavus timidusque videretur, sed maximam tale exemplum afferret utilitatem, quale sine ulla dubitatione multi sequerentur, quippe qui primi inter omnes id moliri dubitant, quod iis fortasse causa possit existere ut vitae in academia vitaeve militari, quantumvis sit jucunda, renunciare deberent. Negari quidem non potest, quod supra jam monuimus, reperiri, qui quavis occasione oblata duella arripiant, sive fortitudinem suam probare studeant, sive apud eos multum valere concupiscant, qui tempus quod in litteras colendas impendere aut in munere fungendo ponere deberent, duellis faciendis et compotationibus consumunt, item vero horum quidem virorum quam parvus existat numerus notavimus. Quibus causis poenam mitigantibus respectis, Codice legum Saxonicarum art. 206 morte alterius duellum ingressorum subsecuta carceris

poena usque ad viginti annos, Codice legum Wurtembergicarum art. 190 ad summum detentio in arce per sex annos constituta est.

Conf. *Zeitschrift für ausländische Rechtswissenschaft.* 9. *Bd. S.* 286. *Encyclopädie von* Ersch *und* Gruber. *Halle.* 28. *Bd. S.* 152. Pinet, Le duel en jurisprudence et en législation p. 176. Neque non judici poenam duello, quo nulli magis diversae poenae, quae a mitissimis in gravissimas crescere possunt, applicandae sunt crimini, irrogandam decernenti tam ad causam duellum antecedentem, quam ad pugnantium in duello se gerendi modum erit respiciendum. In eo vero rerum cardo verti mihi videtur, utrum regulae duello statutae accurate servarentur, an non. Quod si factum est, ita ut homo depravatus duelli forma uteretur ad turpia consilia sua facilius conficienda et ad evitandam poenam graviorem, qua alioquin afficeretur, hic, quum adversarium ira, humilitate et abjecto animo ductus vita privaverit homicida habendus et secundum communes de homicidio constitutas leges judicandus erit. *Archiv des Criminalrechts. Neue Folge.* 1. *Bd.* 1834. *S.* 252. Quum exempli causa adversarius armis sit exutus, adjutores, quibus ex more nomen est secundantum, desistendi a pugna signum dederint, quum adversarius defensione destitutus sit habendus, sive lapsus sit, sive largior cruor e vulnere ei illato profluat, aut quum alteri pugnantium nullum amplius existat periculum, quod quidem accidit, si certantes sclopetis minoribus, quorum alterum tantum pulvere tormentario et glande fortum est, utuntur, pugnantem, qui ejusmodi casus in rem suam convertens, adversarium suum interficit homicidae poena manebit. Neque non duellum, quo ex pacto pugnantium alter interiret sine dubio plerumque gravius; quolibet alio est puniendum, quoniam uterque infaustum cognovit exitum et adversarium interficere propositum habebat. Nullo modo vero contenderem, certamen singulare ineuntem ideo eadem, qua homicida poena esse plectendum quia ei adversarium suum occidendi fuerit animus, qui quidem utique supplicio afficiendus esset. Nam multi casus cogitari possunt, quibus hunc animum poena solutum esse nulla est dubitatio. Neque enim miles, qui hominem, a centurione jussus, necavit, neque civis, qui latronem vel ereptorem cecidit, ut se suosque defenderet, quamvis uterque adversarium interficiendi consilium ceperit, supplicio dignus censetur. Tam is, qui longe antea homicidium apud animum suum constituerat atque quonam modo idem ad perfectionem adduceret praemeditatus erat, is qui subita perversa cupiditate accensus atque is qui vulneribus vel plagis lacessitus consilium inivit caedem faciendi, pariter propositum habebat interficiendi, nihilominus vero, quod ad poenam, qua quisque dignus habendus est, magnum intercedit

Digitized by Google

discrimen. Nam pro rerum temporumque conditione penitus homicidii natura mutatur. Plurimum enim interest, qua quantaque injuria laesus ad certamen singulare ineundum commovetur, quum, quo gravior extiterit offensio, eo magis excusanda sit provocatio. Quodcunque vero ansam potuit praebere caedis perpetrandi modo ad excusandum conferet duellum, modo graviorem efficiet poenam. Sic nemo in dubitationem vocabit, quin is qui periculosius duelli genus proponeret, ut adversarium a duello prohiberet, nulla majore poena plectendus sit, quum animum occidendi cum dolo conjunctum ad homicidium consilio susceptum consummandum subesse oporteat. Itaque duelli ea opinione praejudicata nati et praesentibus aliis hominibus perpetrati levior existet poena, quam homicidii ex humilibus cupiditatibus descendentis, cujus admittendi causa interfector, hominum conspectum fugiens, noctis tenebris ad fines suos consequendos utitur. Homicida eo magis omnibus formidini erit atque terrori, quo magis inops omnique destitutus est auxilio, quem caedere apud animum suum constituit. Quamvis consilium certamen ineuntium revera poena aliqua dignum sit habendum, quum judices, quorum auxilium contemnitur, conculcentur, quum societas humana, quiete et pace turbata, laedatur, aspernatur vita, quae levi animo cupiditatibus animique affectionibus, deditur, nihilominus illorum tanta haberi non potest culpa, quanta homicidae. Pugnam singularem conserente neque dolo neque vi utente, hora et genere certamnis pacto sanite servando constituto utrique ad pugnam se praeparare relinquitur. Quod si vero quis in duello occisus est, tantum aberat, ut inopinate opprimeretur, ut e contrario ei potestas et occasio sese defendendi data fuisset. Nam idem adversarium suum exspectabat eumque adoriebatur, ita ut non ex adversarii sui voluntate, sed potius ex casu pendere videretur, ut pugnae succumberet, sicario periculum subterfugiente noctisque caligine freto.

Neque non homicida sive irae implendae causa, sive cupiditatis cujusdam explendae gratia, tota incumbit mente in occidendam, quam elegit victimam, quum consilium adversarium interficiendi vel fini duello consequendo postea accedat, vel plurimum absit a pugnante, qui nihil aliud agere solet quam ut honorem vel laesum restituat vel illaesum servet. Quotocuique vero cogitatio in oculis animoque versatur, se adversario suo vitam ademturum? E contrario fere omnes exoptare solere, ut neque ipsi, neque adversarii duello succumberent, vel graviore vulnere afficerentur quis est, qui nesciat? Insuper tota societas humana magis perterretur atque exhorrescit homicidio per sicarium facto, quam quum aliquem duello interiisse cognoverit, quia huic

Digitized by Google

ipsi quodammodo culpa praematurae mortis est imputanda, quum ex ejus arbitrio penderet, num duellum inire vellet, an non. Tum eam ob rem poena leviore duellum est plectendum, quam homicidium, quoniam hoc ex detestabiliore nascitur causa, quod nulla offensione antecedente a viro abjecto humilique praedito animo et constituitur et conficitur, quum duellum vehementi cupiditate vel perverso animi motu, verumtamen hac illave ratione excusando instigante committi solere, omnibus constat. Mongalvy l. l. p. 37. Pinet, Le duel en jurisprudence et en législation. Paris 1830. Aliam defendit sententiam Ch. Bataillard, Du duel, Paris 1829 p. 16., qui duellum conserentem eadem, qua sicarius poena dignum esse existimare videtur. Bataillard, vir spectatissimus, quin in errore versetur, a nemine in dubitationem vocabitur, qui duellum conficientem, etsi adversarium interfecerit, nulla nisi levissima duelli poena plecti posse apud animum reputaverit. Quod quidem fit, si quis sese defendendo propulsavit ictus adversarii, qui furore irave abreptus procul dubio eum necavisset, nisi tali modo vitam suam defendisset, aut si mors alterius partis subsecuta soli casui est adtribuenda. Historiam nobis animadvertentibus in plerisque terris poenas graviores inefficaces se praebuisse cognovimus, excepta. Suecia, ubi superstes capitis poenam subibat, exclusisque quibusdam Armenicae civitatibus exempli gratia Virginia, Alabama et Georgia, ubi duellum facientibus eorumque adjutoribus tutor constituitur. Vid. Discours prononcé à l'Audience solennelle de Rentrée du Novembre 1838 par M. D. Bodan, avocat général près la Cour royale de Rennes.

Quibus in civitatibus hasce poenas utilitatem habuisse, ut perraro adhuc duella committantur negari non potest, quamvis una hac re legislator commoveri non posset tam graves poenas minitari, sicubi levioribus poenis adhibitis eundem se consecuturum esse finem possit sperare. Tum judici ad genus armorum, quibus certantes usi sunt est respiciendum, quum, quo periculosiora existant arma, eo gravior constituenda sit poena. Quae, quantaque vero cautio ei sit adhibenda, quum poena pro variis rerum conditionibus modo augeri, modo minui possit, nullus ignoro. Sicuti enim apud duces militum more aliquo receptum est, ut certa injuria accepta certis ulciscenda sit armis, sic litterarum studiosi plerumque iis armis utuntur, quae in universitate in qua versantur, sunt usitata; quo quidem fit, ut quicunque armis semel consuetis etsi gravioribus contenderit, graviore poena non sit plectendus. Quod si vero judex virum malitia irave ductum, non opinione praejudicata quodammodo coactum in eligendis periculosi-

Digitized by Google

oribus armis obstinato animo perseverasse compererit, hic revera acerbiore supplicio, quam qui leviora utenda proposuit arma dignus est habendus. In universum arma, quibus duellum facientes uti solent, prout magis minusve periculosa sunt trifariam dividenda mihi videntur. Omnium periculosissima sclopeta minora sine dubio sunt habenda, quorum vario usu magna efficiuntur discrimina. Gallis distinguendum videtur Le duel au signal, le duel à lignes parallèles et le duel à marcher quod quidem duelli genus cum maximo conjunctum est periculo. Quum enim alter pugnantium sclopetum disploserit, alteri cujus telum igniferum adhuc fartum est, ad adversarium, usque ad locum, quo fines constituti sunt, accedere licet, ita tamen, ut ille, quamvis ictum ab hoc emittendum exspectare debeat, procedere non sit coactus. Sunt qui duello sclopeto minore conficiendo electo pugnantes utique de alterius partis morte convenisse sed immerito, ut mea est opinio, contendant. Secundum armorum genus gladius atque acinaces efficiunt, quos gravioribus adnumerandos esse armis multis exemplis edocti cognovimus, quum gladii ad singularia certamina conserenda facti ad leviora arma pertineant. Nam duellorum his quidem armis confectorum gravius vulnus vel mors alterius partis tam raro est eventus, ut inter mille vix unum perpetrari quo mors alterius secuta sit, contendere ausim.

Inter negotia difficillima maximeque lubrica judici gerenda ejus officium numerarem poenam duello pro re nata convenientem constituendi, quum, quaecunque adhuc fuerint adhibitae poenae, duellorum quotannis fere crescat numerus. Itaque legum lator neque nimis graves poenas quia, quod quum ita esset judex, venia et impunitate saepius data legum auctoritatem debilitare et imminuere, aut de criminum vestigiis nihil curare esset coactus, neque nimis leves poenas statuere debebit, qua quidem re causa, qua multi a faciendis deterrerentur, cessaret. Sine dubio vero efficax duellorum penitus exstirpandorum quaerendum est remedium in bonis legibus de injuriis ferendis, quamvis quae quantaeque difficultates in constituendis de honoris famaeque laesionibus sint censendae legibus, quippe quae populi classibus a duellis conserendis alienissimis tantum applicarentur, nullus ignorem. Quod quidem eo fit, ut saepissime duelli tam levis atque minuta existat ansa, quae aut nulla aut levissima plectenda sit animadversione. Nam qua quantaque poena ex ambiguo dictum, dubiumve vultum, quali tandem vocem, quam unusquisque leporem vel facetiam vel usitatam blanditiam haberet, afficias? Conf. Pinet pag. 219. Itaque nihil est cur mineris, quemcunque, cui, injuria

Digitized by Google

accepta, legitima via haud satisfactum est, ad legibus repugnantem se convertere ultionem, quum illaesae famae status ad humanae vitae felicitatem requiri videatur. Vid. LIVINGSTON, *Opinion* sur le duel et de la manière de le reprimer. Paris 1829. p. 6. In eadem sententia est clarissimus BENTHAM his verbis usus: Si le législateur eût toujours appliqué convenablement un système de satisfaction, on n'eût pas vu naître le duel, qui n'a été et n'est encore qu'un supplément à l'insuffisance des lois. A mésure, que l'on remplira ce vide de la législation par des dispositions capables de protéger l'honneur, on verra diminuer l'usage des duels, et il cesserait même tout-à-fait, si les satisfactions honoraires étaient exactement au titre de l'opinion et fidèlement administrées. Autrefois les duels ont servi comme moyen de décision dans un grand nombre de cas, pour lesquels ce serait le comble de ridicule de les employer aujourd'hui. Un plaideur, qui enverrait un defi à son antagoniste pour prouver un titre ou établir un droit, serait reputé fou: mais au douzième siècle ce moyen eût été très-solide. D'ou vient ce changement? De celui, qui s'est opéré peu-à-peu dans la jurisprudence. La justice en l'éclairant, et en s'attachant à des lois et à des formes a offert des moyens de redressement préférables à celui du duel: la même cause produira encore les mêmes effets. Dès que la loi offrira un remède sûr contre les délits, qui blessent l'honneur, on ne sera pas tenté de recourir à un moyen équivoque et dangereux. Aime-t-on la douleur et la mort? Non, sans doute: ce sentiment est également étranger au coeur du poltron et du héros. C'est le silence des lois, c'est l'oubli de la justice, qui reduisent l'homme sage à se protéger lui même par cette triste mais unique ressource. (Traités de législation civile et pénale. t. 2. pag. 355.) Neque non verba, quibus illustrissimus PUFFENDORF hac de re utitur afferre mihi liceat. Ajoutons néanmoins, ait, qu'encore qu'on doive juger les choses suivant les idées des sages, et non suivant l'opinion du vulgaire, cependant, comme tout le monde n'a pas l'esprit assez philosophe, pour supporter le mépris et les moqueries de la plus grande partie de ses concitoyens et que, d'ailleurs, le caractère de plusieurs ne le leur permet pas, il faut infliger des peines très rigoureuses à ceux, qui osent faire quelqu'une de ses injures, auxquelles on a attaché une grande ignomie dans le pays où l'on vit. Autrement je ne vois pas comment un magistrat peut user avec raison de sévérité contre ceux, qui repoussent les atteintes données à leur réputation, conformément à la coutume et aux idées reçues, pendant que lui même néglige de punir ces sortes

*

d'insultes, qui déshonorent si fort dans l'esprit du commun des hommes. Ainsi lorsqu'on veut défendre les duels, on doit établir en même temps des peines très rigoureuses contre ceux, qui donneront un soufflet, ou qui feront, soit en actions, ou en paroles, quelque autre outrage, qui emporte une grande flétrissure dans tout le pays, où les défenses s'étendent.

Omni dubio caret, quin a legum scriptore duellum ineunti, nullo certaminis exitus respectu habito, eo levior statuenda sit poena, quo plures et majores excusationis causae afferri possunt. Sic pugnaturi facilius ad eligenda leviora commoventur arma, quum his quidem armis usos se minorem incursuros esse poenam cognoverint. Quod si vero in pluribus academiis hoc eo modo spectari invenimus, ut in quocunque duello deprehenso apparatus pugnae, praesertim arma ad tegendum publicentur, hanc quidem puniendi rationem nobis improbari, nihil est cur negare velimus. Nam nobis metuendum videtur ne, quod non ita pridem factum esse cognovimus, litterarum studiosi facilius permoveantur nullis armis ad tegendum utentes duella multo periculosiora inire. Contra judici poenam plus, quam in ullo alio crimine exacuendi vel diminuendi facultas concedenda nobis videtur, quod duelli exitus casui ejusque vicissitudinibus plerumque est adtribuendus, ita ut certamen singulare ingressus qui parum considerate levique animo judicanti poena atrocissima dignus videatur, re diligentius perpensa, tota fere poena absolutus existat. Item in civitate, ubi major est praejudicii vis ac potestas atque acerbiora quicunque duellum recusavit, contraxit incommoda, poenam minus gravem esse infligendam justis de causis affirmant. Nec ulla ut supra monui res tanti est momenti, nullius tanta est gravitas in justa constituenda duello poena, quanta diligentior disquisitio atque indagatio, utrum duelli regulae de quibus pugnantes convenerant, conservarentur, an leges certaminis praescriptae nullos secundantes testesve, nullum medicum adhibendo vel ulla alia ratione negligerentur. Quo quidem modo certantes quum duellum consilio magis periculosum reddiderint, quin graviore afficiendi sint supplicio nemo in dubitationem vocabit. Nam quantum homicidium in duello factum a caede extra duellum perpetrata differt, cautione sancte conservandarum pugnae legum sublata! Ut vero omnium scelerum loco, cui maleficus verecundiam et reverentiam quandam debuit confectorum crescere solet poena, sic etiam duellorum, quae a nullo, nisi gravissimo atque perditissimo homine in loco sancto admissum iri, nemo negabit. Porro Bataillard, vir excellentissimus p. 73. non sine idonea ratione contendere mihi videtur, duella, in quibus alteri parti majora competerent commoda, supplicio

Digitized by Google

atrociore esse plectenda, poena vero vacuum esse duellum si damnum famae laesione allatum divulgata injuria augeretur, utpote quum maritus duellum cum uxoris sui adultero inierit, vel si quis ad vindicandam graviorem violationem pudoris vel castitatis matris, filiae, uxoris arma sumserit. Quod fere omnibus vetustioribus jurisprudentiae scriptoribus placuit, provocatum utique levius puniendum esse, provocante, nonnullis iisdemque jurisperitissimis hujus temporis approbari scimus, quamvis multi casus cogitari possint, quibus non solum apud provocatum tantum sit injuriae, quantum apud provocantem, sed hic etiam leviori poena dignus nobis videatur. Nonne tali contumelia affectus, qualem, nisi graviora damna ferre malit, in se accipere nequit, nonne homo quietissimus atque concordiae amantissimus, qui repetitis injuriis acceptis ad provocandum adversarium vix permoveri potuit, multis rationibus excusandus videtur? Reconciliationem gratiae sibi oblatam recusantem atque satisfactionem via legitima factam repudiantem majorem subiturum poenam, quam ad restituendam gratiam propensus per se patet. Denique quaerenti tibi, benevole lector, num provocatio ad duellum per se animadvertenda sit, nec ne, hanc, licet ex rationibus legibusque conatus neque judicanda, neque punienda mihi videatur, tamen, nisi sponte revocetur, revera poena aliqua esse afficiendam responderem. Nam provocato aut pactum ineundi, aut gravioribus se subjiciendi incommodis eadem imponi necessitatem, quis est, qui ignoret? Contrariam defendit sententiam Quintus, vir doctissimus l. l. pag. 133. qui provocationem poena vacuam esse debere existimat, quum alioquin perpauci inutili poenitentia commoti a duello faciendo desisterent, atque eatenus plausum nostrum fert, quatenus provocantes leviore tantum poena afficiendos censemus. Quid plura? Superflua atque supervacua jam verba fecisse mihi videor de duellantibus quos dicunt, ita ut ad disceptandam quaestionem nos convertamus, num secundantes, utpote duelli participes adjutoresve poena coercendi sunt, an non. In magna hac de re jurisconsulti versantur varietate et dissensione, quorum alii secundantium praesentiam mutuae securitatis pignus esse existimant, eaque potissimum effici, ut adversarii regulas duelli observarent, atque inter se in gratiam redirent, ut pugnae prius finirentur, scelestibusque caedibus occurreretur, alii duellum, nisi secundantibus poena affectis coerceri vel supprimi posse negant. Illam sententiam amplectuntur: celsissimus Mittermaier (*Aufsätze im Archiv, VIII. Theil S.* 468. *und neue Folge I. S.* 384. clarissimus Heffter, *Lehrbuch S.* 394. doctissimus Quintus l. l. p. 131 seq., hanc defendit praestantissimus Jolly, qui, iis, quos pugnaturi secundantes creaverint, auxilium suum recusantibus,

duella, quippe quae ideo tantum perpetrarentur, ut paciscentes viderent, laesum nullam in se contumeliam accepisse, penitus ex usu recessura contendit conf. P[illegible] l. l. p. [illegible]. Meam de duellantium poena afferenti mihi sententiam ante omnia monendum videtur, permultorum eorumdemque doctissimorum jurisperitorum animos vanum atque inanem metum cepisse, ne duellum ineuntes, si nemo secundantis partes suscipere vellet, pugnam sine secundantibus eoque multo periculosiorem consererent, qua re malum exstirpandum augeretur ac corroboraretur. Vanum et inanem metum dico, quod fere omnes certamen, cui nulli secundantes adessent, omittere malent, quam effrenatis adversarii sui libidinibus animique affectionibus sese dedere conantur. Quisnam, adversarium duelli regulis legibusque satisfacturum iis spondebit? Permulti vero metu, quod probare nequeunt sese duellum fecisse, regulas pugnae statutas observasse, vel sollicitudine, adversario caeso, homicida haberi a duello perpetrando avocabuntur. Itaque timore duellorum periculosorum saepius consecuturorum cessante, si nulli secundantes reperirentur, imo his deficientibus duellorum numero minore futuro secundantes, quum quodammodo criminis participes nominandi sint, vel saltem ad conficiendum duellum conferant, poena quamvis exigua pro rerum conditione quorundam dierum hebdomadumve inclusione, alterutro pugnantium vero occiso breviore poena carceris coercendi mihi videntur. Quod si disquisitio, num secundantes omnino sint puniendi, an non, difficilioris est indaginis, multas causas afferre possemus, quibus secundantes leviore tantum poena plectendos probetur. Nam primum conferunt ad duellum minus periculosum faciendum, ictus et plagas graviores a pugnantibus avertentes atque certaminibus finem imponentes. Tum ab alicujus voluntate et arbitrio non dependet pugnantem adjuvare, quum tantum homines majore agilitate et robore corporis exstructi secundantes soleant creari. Denique vero secundantes adjutoribus adnumerari nequeant, quod eorum auxilio crimen duelli potius minuitur, quam committitur.

Quae quum ita sint secundantes perraris casibus per plures menses in custodia inclusos eosdem vero omni poena vacuos esse velim, si operas quas potuerunt maximas, in reconciliandos adversarios vel supprimendum duellum impenderunt. In Badensium Codice legum de delictis eorumque poenis secundantes omni poena soluti relinquuntur, nisi consilio facta laesione regularum duelli usitatarum, vel specialiter constitutarum homicidium vel vulnerationem corporis effecerunt. Idem Codice legum poenalium Saxonica sancitum invenimus si secundantes duellum periculosioremve ejus

Digitized by Google

exitum prohiberi studuerunt. Jam poenis afferre mihi liceat, quibus poenis quicunque admittendo duello aliqua ex parte contingi possunt, plectendi mihi videntur. Testes et qui inter pugnam neutri parti studens controversias inter secundantes ortas dijudicare solet, quippe qui parum conferunt ad committendum crimen sine ulla dubitatione leviore vindicandi sunt poena. Quod ad eos, qui deprehensionem certantium prohibuerunt, qui duellantes fugientes adjuvaverunt, locum, quo pugnarent, commodaverunt, arma attulerunt, quin socii vel fautores habendi sint nulli dubitamus. Sed maximam in inquirendo et explorando num ejusmodi socii in ea conditione versantur, qua ex aliena quodammodo pendeat arbitrio (quod quidem in academiis saepius reperimus) curam commendasse volumus judici poenam sociis statuenti. In quibusdam terris medici magistratui quam primum denunciare, quo tempore et loco opem suam tulerint, vel petitam negaverint, tenentur. Quae quidem obligatio medicis imposita eo tantum casu legislatoris consilio responderet, quo medici muneri publico praefecti duellis adhibeantur, si vero, quod saepius in academiis invenimus, pugnantes studiosis medicinae utuntur, quot duella occultarentur, quotumquisque certamen singulare denunciaretur experti scimus! Neque non legum latori animo suo reputandum crediderim, vix ullum medicum, poena statuta, operas suas collaturum in restituendam pugnantium valetudinem, quos medico auxilium suum recusante, a pugna conserenda nullo modo abstenturos esse mihi persuasissimum est.

Quod ad principis jus duellum conserentibus veniam dandi, hoc saepius in disceptationem vocatum esse scimus, iidem vero quo jure hoc factum esse nos plane nescire negare non possumus, quum nullius fere puniendi criminis tam multae tantaeque existere nobis videantur difficultates, qua propter si ullo certe in hoc crimine illius juris utilitas evidens manifestaque mihi videtur.

Ut duella minuerentur, vel, si fieri posset, exstinguerentur a pluribus scitis sapientibusque hominibus duella magistratui insinuata permittere et clandestina tantum punire identidem proponebatur, neque infitias ire possumus, hanc sententiam multis rationibus esse comprobandam. Sed non sine causa fortasse quisquam eidem opponeret, fere omnes, quibus duellum faciendi animus esset, concessione negata, occulta assequi studerent, quod publica via iis non successerit, ut porro duellis clam confectis poenam nimis gravem minari nos oporteret, ut denique numerus duellorum multo augeretur, quum multi poenam duello statutam metuentes a conficiendo hoc crimine soleant prohiberi.

Digitized by Google

Quo quidem modo judicia, quae nomen suum a honore ducunt, orta sunt, quae vero exspectationi factae non respondisse testis est Quintus: dissertatio juridica pag. 54 seq. nec mirum, nam si judices honoris eadem qua ordinarii exstructi sunt potestate judicium honorarium evanescet et nulla erit habenda; demto vero jure et facultate decreta sua exsequendi judicum operae ac studia in dirimendis controversiis collocatae nihil valebunt. Item metuendum est, ne judices, nisi ex sociis, vel sodalibus pugnantium assumuntur, saepissime decipiantur atque nimis paucorum duellorum cognitionem consequantur. Quod quum ita se habeat exoptatos fructos a judicibus ex sodalibus pugnantium etectis, si ullos, exspectari posse crediderim, quamvis iidem viri omnibus numeris laudandi existant, mihi necesse videatur, ita ut in tanta humanorum errorum vitiorumque multitudine ne tale quidem honoris judicium commendasse velim. Conf. Censuram, quam egit clarissimus Mittermaier de ultimo novi Codicis Bavarici exemplo. *Neues Archiv des Criminalrechts.* T. 10. P. 2. pag. 287. Ad extremum quaedam de iis, quae aliarum terrarum legislatores de optima duellum puniendi ratione censerint afferre mihi liceat. In Codice legum Gallicarum de delictis et poenis hoc tempore valente nullam duelli mentionem fieri scimus, ita ut pars tribunalium vulnerationes et caedes in duello factas legibus communibus de homicidio et vulneribus esse subsumendas existimet, pars eas impunitas faciat, pars potissimum respiciat, num regulae duello statutae servarentur, an non. Postremo judicium rescissorium (la cour de cassation) decrevit, ut duellum poena vacuum relinqueretur, nisi pugnantes, nullis secundantibus testibusque adhibitis, duellum commisissent, quod quum factum fuisset poenae occisioni constitutae irrogarentur. Ludovicus sanctus jam anno 1260 certamen judiciale vetuit. Conf. Bignot, Etablissemens de Saint Louis et Laurière. tom. II. p. 87. Primae leges de duello Henrico V. auctore constituebantur. Sententia regni comitiis Parisiis habitis 26. Juni 1599 lata duellum crimen laesae majestatis declarari poenam omnium facultatum publicationis vitaeque privationis certantibus irrogari, utpote transgressis jura divina, perduellibus, regiae voluntati obedientiam negantibus, judicia offendentibus, otiis et pacis turbatoribus. Conf. Pinet, Le duel en jurisprudence et en législation p. 148 seq. Edicto mensi Aprilis 1602 dato hoc decretum confirmabatur et amplificabatur. Deinde edictum Jun. 1609 secutum est, quod consilio duella coercendi et exstirpandi propositum toti sequenti legislationi praebuit fundamentum. Edicta, quae mense Augusti 1623, Septembris 1651 et Augusti 1679 data sunt, propter nimiam severitatem sine ullo effectu manebant, quum judices duella impunita relinquere mallent, quam poenam animo

Digitized by Google

Le droit de retour conventionnel a pour effet de révoquer la donation *ex tunc,* c'est-à-dire de résoudre toutes les aliénations des biens donnés, et de faire revenir ces biens au donataire, francs et quittes de toutes charges et hypothèques. (Art. 952.)

Cet effet du droit de retour conventionnel ne peut pas avoir lieu à l'égard des meubles que le donataire aurait aliénés et livrés à des tiers de bonne foi. (Art. 2279.)

L'article 952 y impose une autre restriction, en maintenant l'hypothèque de la dot et des conventions matrimoniales, si les autres biens de l'époux donataire ne suffisent pas, mais dans le cas seulement où la donation lui aura été faite par le même contrat de mariage, duquel résultent ces droits et hypothèques.

Nous n'examinerons pas cette restriction au principe de la révocation *ex tunc* de la donation, parce qu'elle a rapport aux donations par contrat de mariage, ce qui ne rentre pas dans notre sujet.

---

1. Zachariæ, t. V, §. 700, p. 312.

Digitized by Google

DROIT ADMINISTRATIF.

Organisation de l'instruction primaire.

L'organisation de l'instruction primaire est réglée par la loi du 25 mars 1850, et par différents décrets rendus postérieurement par le Président de la République. Cette loi n'a été exécutoire qu'à partir du 1.er septembre 1850, en vertu de l'article 84. Elle a été modifiée par le décret organique du 9 mars 1852; nous ferons connaître ces modifications en tant qu'elles touchent aux dispositions que nous avons à expliquer.

L'organisation de l'instruction primaire comprend: 1.° les matières faisant l'objet de l'enseignement primaire; 2.° les conditions d'exercice de la profession d'instituteur; 3.° l'organisation des écoles primaires communales; 4.° les institutions complémentaires; 5.° l'établissement des autorités préposées à la surveillance et à la discipline de l'instruction primaire.

Digitized by Google

CHAPITRE PREMIER.

Des matières qui font l'objet de l'enseignement primaire.

L'enseignement primaire comprend l'instruction morale et religieuse, la lecture, l'écriture, les éléments de la langue française, le système légal des poids et mesures. Il peut comprendre, en outre, l'arithmétique appliquée aux opérations pratiques, les éléments de l'histoire et de la géographie, des notions des sciences physiques et de l'histoire naturelle applicables aux usages de la vie, des instructions élémentaires sur l'agriculture, l'industrie et l'hygiène, l'arpentage, le nivellement, le dessin linéaire, le chant et la gymnastique (art. 23, L. 1850). Il comprend, en outre, les travaux à l'aiguille dans les écoles de filles. (Art. 48, *ibid.*)

Cette énumération que fait la loi des matières comprises dans l'enseignement primaire ne s'applique pas seulement aux écoles publiques, mais encore aux écoles privées ou libres. L'instituteur primaire libre n'est pas tenu, il est vrai, de suivre ce programme, sauf ce qui concerne l'instruction morale et religieuse; mais s'il en dépassait les limites, il pourrait être puni comme exerçant illégalement la profession d'instituteur secondaire. On ne pourrait décider en sens opposé qu'il suffit de ne pas remplir ce programme, pour ne pas être considéré comme exerçant la profession d'instituteur primaire. C'est en vertu d'une exception formellement insérée dans la loi que les personnes, qui dans un but charitable, *et sans exercer la profession d'instituteur,* enseignent à lire et à écrire aux enfants, avec l'autorisation du délégué cantonal, ne sont pas considérées comme tenant école. (Art. 29, *ibid.*)

Digitized by Google

CHAPITRE II.

Des conditions d'exercice de la profession d'instituteur public ou libre.

La loi reconnaît l'existence de deux espèces d'écoles primaires : 1.° les écoles fondées ou entretenues par les communes et qui prennent le nom d'*écoles publiques ;* 2.° les écoles fondées et entretenues par des particuliers ou des associations et qui prennent le nom d'*écoles libres.* (Art. 17, L. 1850.)

Tout Français, âgé de 21 ans accomplis, peut exercer dans toute la France la profession d'instituteur primaire, public ou libre, s'il est muni, soit d'un brevet de capacité [1], soit du diplôme de bachelier, soit d'un certificat constatant qu'il a été admis dans une des écoles spéciales de l'état [2], soit d'un certificat de stage délivré par le Conseil académique [3]; à l'égard des institutrices les lettres d'obédience tiendront lieu de brevet de capacité. (Art. 25, 47, 49, *ibid.*)

Les individus qui ont subi une condamnation pour crime ou pour un délit contraire à la probité ou aux mœurs, les individus privés par jugement de tout ou partie des droits mentionnés en l'article 42 du Code pénal, et ceux à qui la profession d'instituteur a été interdite,

1. Le brevet de capacite est conféré par une commission de sept membres nommée chaque année par le conseil académique; parmi ces sept membres doivent se trouver un inspecteur de l'enseignement primaire, un ministre du culte professé par le candidat et deux membres de l'enseignement public ou libre. (Art. 46, l. 1850.)

2. Un décret du Président de la République du 31 mars 1851 a réglé la forme de ces certificats.

3. Le certificat de stage est délivré par le conseil académique à ceux qui justifient avoir enseigné pendant trois ans au moins les matières comprises dans la première partie de l'art. 23, dans les écoles publiques ou libres autorisées par le conseil académique à recevoir des stagiaires. (Art. 47, L. 1850.)

Digitized by Google

sont incapables de tenir une école publique ou libre ou d'y être employés. (Art. 26, L. 1850.)

Toute personne qui veut exercer la profession d'instituteur et ouvrir une école libre, doit en faire la déclaration au maire de la commune où il veut s'établir. Cette déclaration est faite à la mairie sur un registre spécial. Elle doit porter la désignation du local et l'indication des lieux où l'instituteur a résidé et des professions qu'il a exercées pendant les dix années précédentes. Elle doit être accompagnée : 1.° de l'acte de naissance de l'instituteur, 2.° du titre exigé pour exercer la profession d'instituteur. La déclaration est signée par le maire et par l'instituteur. Une copie en est immédiatement affichée à la porte de la mairie et y demeure pendant un mois.

Dans les trois jours qui suivent, le maire adresse au recteur les pièces jointes à la déclaration et un certificat constatant que la déclaration a été affichée. Il visite ou fait visiter, dans le même délai, le local destiné à l'école et délivre à l'instituteur trois copies légalisées de sa déclaration. Il fait mention, s'il y a lieu, au bas de ces copies de son refus d'approuver le local et des motifs sur lesquels cette opposition est fondée. L'instituteur remet une de ces copies au procureur de la République et une autre au préfet ou au sous-préfet. Il remet la troisième copie au recteur de l'académie, avec les récépissés que le procureur de la République et le préfet ou le sous-préfet sont tenus de lui donner.

A l'expiration du mois qui suit la déclaration de l'instituteur, le maire transmet au recteur les observations auxquelles elle peut avoir donné lieu, ou l'informe qu'il n'en a pas été reçu à la mairie. Le recteur peut faire opposition à l'ouverture de l'école dans l'intérêt des bonnes mœurs. Cette opposition est notifiée à l'instituteur. Il y est statué, sans recours, par le conseil académique, ainsi que sur l'opposition du maire, portant désapprobation du local. L'affaire est jugée par ce conseil, après que l'instituteur a été dûment cité dans les trois jours qui précèdent le jugement. A défaut d'opposition, l'école peut être

Digitized by Google

ouverte sans autre formalité. (Loi de 1850, art. 27 et 28; décret du 7 oct. 1850, art. 1, 2, 3 et 4.)

Celui qui ouvrirait ou dirigerait une école primaire sans réunir les conditions de capacité exigées par la loi, serait jugé et puni par le tribunal de police correctionnelle, conformément à l'article 29 de la loi de 1850. L'école devrait être fermée. La même pénalité est attachée au fait d'ouvrir ou de diriger une école sans avoir fait la déclaration nécessaire, sans avoir attendu l'expiration du délai d'un mois, ou bien sans tenir compte d'une opposition dûment notifiée ou d'une décision du conseil académique qui aurait accueilli cette opposition.

Les instituteurs communaux sont nommés par le recteur, le conseil municipal entendu, et choisis, soit sur une liste d'admissibilité et d'avancement dressée par le conseil académique, soit sur la présentation qui est faite par les supérieurs pour les membres des associations religieuses vouées à l'enseignement et autorisées par la loi. Les consistoires jouissent du droit de présentation pour les instituteurs appartenant aux cultes non catholiques. (Art. 31, loi de 1850, modifié par le décret du 9 mars 1852, art. 4.)

CHAPITRE III.

Organisation des écoles primaires communales.

L'enseignement primaire est donné gratuitement à tous les enfants dont les familles sont hors d'état de le payer (art. 24, loi de 1850). La liste des enfants qui doivent recevoir l'enseignement gratuit est dressée chaque année par le maire, de concert avec les ministres des différents cultes. Cette liste est approuvée par le conseil municipal et définitivement arrêtée par le préfet. (Loi de 1850, art. 45.)

Toute commune doit entretenir une ou plusieurs écoles primaires. Deux ou plusieurs communes peuvent, avec l'autorisation du conseil

Digitized by Google

académique, se réunir pour entretenir une école. Toute commune peut, avec la même autorisation, se dispenser d'entretenir une école publique, à condition de pourvoir dans une école libre à l'enseignement gratuit de tous les enfants dont les parents ne peuvent y subvenir. Des écoles séparées seront établies pour les enfants des deux sexes ou appartenant aux différents cultes reconnus, à moins d'une autorisation contraire donnée par le conseil académique. (Art. 36, 51, 15, L. 1850.)

Toutefois la séparation des enfants des deux sexes n'est exigée que dans les communes de huit cents âmes et au-dessus, et lorsque les ressources de la commune lui en fournissent les moyens. Il en est autrement lorsqu'il existe dans la commune une école publique ou privée de filles. En cas de réunion de plusieurs communes pour l'enseignement primaire, le conseil académique, après avoir pris l'avis des conseils municipaux, peut décider que l'école de garçons et l'école de filles seront dans deux communes différentes. (L. 1850, art. 51 et 52.)

Le conseil municipal peut, avec l'autorisation du conseil académique, exiger que l'instituteur communal donne, en tout ou en partie, à son enseignement les développements dont il est parlé à l'article 23 de la loi de 1850.

Toute commune doit fournir à l'instituteur un local convenable, tant pour son habitation que pour la tenue de la classe et un traitement (art. 37, *ibid.*). Ce local doit, avant l'ouverture de l'école, être visité par le délégué cantonal, et par l'inspecteur de l'arrondissement, si plusieurs communes veulent se réunir pour l'entretien d'une école. Le délégué et l'inspecteur adressent leur rapport au conseil académique (art. 8, décret du 7 octobre 1850). Lorsque le local, destiné à l'habitation de l'instituteur et à la tenue de l'école, ne convient pas à l'usage auquel il doit servir, le préfet peut, après avoir pris l'avis du recteur et du conseil académique, mettre en demeure la commune de faire exécuter les travaux nécessaires et les faire ensuite exécuter à ses dépens; il peut aussi louer un autre local. (Art. 9, *ibid.*)

Digitized by Google

Le traitement de l'instituteur communal se compose : 1.° d'un traitement fixe, qui ne peut être inférieur à 200 francs; 2.° du produit de la rétribution scolaire; 3.° d'un supplément accordé à tous ceux dont les appointements réunis n'atteignent pas 600 francs (L. 1850, art. 38). Les conseils municipaux délibèrent, chaque année, sur le taux de la rétribution scolaire et sur le traitement de l'instituteur. Ces délibérations sont transmises par le préfet au conseil académique qui statue définitivement. (Décret du 7 octobre 1850, art. 19.)

La rétribution scolaire est perçue dans les mêmes formes que les contributions directes d'après les rôles fournis par l'instituteur, signés par le maire et rendus exécutoires par le préfet (art. 22, *ibid.*). Néanmoins le conseil académique peut, de l'avis conforme du conseil général, autoriser l'instituteur communal à percevoir lui-même la rétribution scolaire (art. 41, L. de 1850). A la fin de l'année, il est procédé à un décompte à l'effet de constater si l'instituteur communal a reçu le minimum de traitement voulu par la loi. (Art. 27, *ibid.*)

A défaut de revenus suffisants de la commune, les dépenses sont couvertes au moyen de centimes additionnels votés par le conseil municipal, et en cas d'insuffisance, par le conseil général. Les centimes additionnels, votés par la commune, ne peuvent excéder le chiffre de trois; ceux qui sont votés par le département, le chiffre de deux. A défaut de votes, l'imposition sera établie par un décret du pouvoir exécutif. Si les ressources de la commune et du département sont insuffisantes, le ministre de l'instruction publique accordera une subvention sur le crédit qui sera porté annuellement au budget de l'État pour l'enseignement primaire. (L. de 1850, art. 40.)

Digitized by Google

CHAPITRE IV.

Des institutions complémentaires de l'instruction primaire.

Les rédacteurs de la loi de 1850 ne se sont pas bornés à l'organisation des écoles primaires, ils ont porté leur attention sur les institutions qui doivent servir de complément à ces écoles. Ces institutions sont les écoles normales primaires, les pensionnats primaires, les écoles d'adultes et d'apprentis et les salles d'asile.

I. Tout département doit pourvoir au recrutement des instituteurs communaux, en entretenant des élèves-maîtres. Ces élèves-maîtres peuvent être formés, soit dans les établissements d'instruction primaire désignés par le conseil académique, soit dans les écoles normales primaires. Ces écoles normales sont établies par le conseil général. Les matières de l'enseignement, les conditions d'entrée et de sortie des élèves, celles relatives à la nomination du personnel sont déterminées par un règlement délibéré en conseil supérieur. Le conseil général peut supprimer les écoles normales; elles peuvent aussi être supprimées par le Ministre de l'instruction publique, sur le rapport du conseil académique. (L. 1850, art. 35.)

II. Les conditions et les formalités requises par la loi pour ouvrir ou diriger une école primaire le sont également pour ouvrir un pensionnat primaire; de plus l'instituteur doit être âgé de 25 ans au moins et avoir exercé pendant cinq ans au moins la profession d'instituteur ou de maître dans un pensionnat primaire. Les instituteurs communaux ne peuvent ouvrir de pensionnat qu'avec l'autorisation du conseil académique. (Art. 53, *ibid.*)

III. La loi s'occupe des écoles d'adultes au-dessus de dix-huit ans et d'apprentis au-dessus de douze ans. Il peut être créé des écoles communales d'adultes et d'apprentis. Le conseil académique désigne

Digitized by Google

les instituteurs chargés de les diriger. Les élèves des deux sexes ne peuvent être réunis. Les écoles libres d'adultes et d'apprentis ne peuvent être ouvertes que par les instituteurs capables d'ouvrir une école primaire libre, et en observant les formalités que nous avons exposées au chapitre II. (Art. 54, 55, *ibid.*)

IV. Les salles d'asile sont destinées à recevoir les enfants encore trop jeunes pour être reçus dans une école primaire. Elles sont publiques ou libres. Le conseil municipal nomme, sauf l'approbation du conseil académique, les personnes chargées de la direction des salles d'asile publiques. (Art. 57, L. 1850.)[1]

CHAPITRE V.

Établissement des autorités préposées à la surveillance et à la discipline de l'instruction primaire.

L'inspection des établissements d'instruction publique ou libre est exercée par les inspecteurs généraux, par les recteurs, par les inspecteurs de l'enseignement primaire, par les délégués cantonaux, par le maire et par le curé, le pasteur ou le délégué du consistoire israélite. (Art. 18, L. 1850.)

L'inspection des écoles publiques s'exerce conformément aux règlements délibérés en conseil supérieur (art. 21, *ibid.*); celle des écoles libres porte sur la moralité, l'hygiène, la salubrité et sur l'enseignement, mais seulement pour vérifier s'il n'est pas contraire à la morale, à la Constitution et aux lois.

Deux inspecteurs généraux de l'instruction primaire, nommés par le président de la République, sont chargés de l'inspection des écoles

---

1. La loi de 1850 avait annoncé deux décrets, l'un sur l'organisation des salles d'asile, l'autre sur celle des écoles de filles, mais ils n'ont pas été rendus.

Digitized by Google

communales ou libres (décret du 9 mars 1852, art. 1, 6). Il y a en outre dans chaque canton un inspecteur de l'enseignement primaire choisi par le Ministre. (*Ibid.*, art. 4; L. 1850, art. 20.) Les délégués cantonaux sont nommés pour trois ans par le conseil académique; il y en a un ou plusieurs par canton; ils correspondent avec le conseil académique et les autorités locales. (L. 1850, art. 42.) Les ministres des différents cultes sont spécialement chargés de surveiller l'enseignement religieux de l'école. L'entrée leur en est toujours ouverte.

Les instituteurs libres sont placés sous la juridiction disciplinaire des conseils académiques. Ils peuvent, pour cause de faute grave dans l'exercice de leurs fonctions, d'inconduite ou d'immoralité, être censurés, suspendus pour six mois ou interdits de l'exercice de leur profession dans la commune; ils peuvent même être frappés d'une interdiction absolue, sauf appel devant le conseil supérieur de l'instruction publique. (L. 1850, art. 30.) Les chefs de pensionnats primaires, d'écoles d'adultes et d'apprentis, ainsi que les personnes chargées de diriger une salle d'asile, sont soumis à la même juridiction.

Il en est de même des instituteurs communaux. De plus, ils peuvent être réprimandés, suspendus ou révoqués par le recteur. En cas de révocation, ils ne peuvent plus exercer la profession d'instituteur dans la même commune. En cas d'urgence, le maire peut suspendre provisoirement l'instituteur communal, à charge d'en informer immédiatement l'inspecteur de l'instruction primaire et d'en référer dans les deux jours au recteur. (L. 1850, art. 33; décret du 7 octobre 1850, art. 17.)

Vu par le professeur soussigné,
président de la thèse.
Strasbourg, le 11 novembre 1852.
ESCHBACH.

Digitized by Google

pprobatio.

Digitized by Google

Univ. of Heidelb. 2:32
5: / 3. 1, 5

NATALICIA
DIVI CAROLI FRIDERICI
BADARUM QUONDAM MAGNI DUCIS

DIE XXIII. NOVEMBRIS MDCCCLVII

PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

AB

ACADEMIA HEIDELBERGENSI

RITE PIEQUE CELEBRATA

SIMULQUE

PRAEMIA COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNTIAT

ACHILLES RENAUD,

JURIS. UTRIUSQUE. DOCTOR. MAGNO. DUCI. BADARUM. A. CONSIL. AULIC. JURIS. PROFESSOR. PUBL. ORD.

UNIVERSITATIS H. T. PRORECTOR.

Disseritur de originibus juris civilis Franco-Gallici.

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefecti urbis nostrae clarissimi!

Viri summe venerabiles!

Jurium consultissimi!

Experientissimi, amplissimi!

Clarissimi, doctissimi!

Commilitones humanissimi!

Auditores omnium ordinum aestumatissimi!

Jam redeunte die solemni, quo secundum consuetudinem hujus universitatis literariae natalicia CAROLI FRIDERICI, Divi Principis, qui Ruperto-Carolam instauravit, publica oratione celebrantur, delegi, de quibus dissererem, origines juris civilis Franco-Gallici. Quod argumentum, etsi jam ab aliis tractatum,[1] non solum magni momenti mihi esse videbatur praesertim in civitate, quae Franco-Gallorum legibus regitur, sed etiam aptissimum ad concelebrandam Memoriam Augustissimi Principis, cujus Manibus hodie debitus honor habetur, quum hujus auspiciis atque jussu Codex Napoleoneus in communem Badarum legem receptus fuerit.

Ut vero quaestionem propositam solvere possimus, oculos in juris conditionem veteris Galliae conjiciamus necesse est.

Pervulgatum est, inde a saeculo tertio decimo veterem Franciam juris, quo regebatur, ratione, in duas partes, — in provincias juris scripti ad meridiem vergentes, et in provincias juris consuetudinarii, quae septentriones atque mediam regni partem amplectebantur, divisam esse.[2] Minus vero constat, quae fuerit hujus regionum descriptionis, quod ad leges attinet, ratio. Plerumque quidem dicunt, in provinciis juris scripti corpus juris civilis in complexu receptum, atque solum jus commune

Digitized by Google

fuisse, — in provinciis vero juris consuetudinarii leges Romanorum nec in complexu receptas, nec solas, sed cum jure Germanico conjunctas jus commune effecisse. [3] Quam tamen sententiam nullis argumentis firmatam esse, facile mihi est demonstrare. Et primum quidem Romanorum leges in provinciis juris scripti nequaquam in complexu receptas fuisse, satis patet ex literis Philippi regis, usque ad hodiernum diem magis quam par est neglectis, quas anno millesimo trecentesimo secundo de studio juris civilis atque canonici in literarum universitate Aurelianensi edidit.

Quarum literarum verba haec sunt:

„Super negotiis et causis forensibus, quae spiritualitatem et fidei sacramenta „non tangunt, regnum nostrum consuetudine et moribus praecipue, non „jure scripto regitur; licet in partibus ipsius regni quibusdam subjecti, ex „permissione nostrorum progenitorum et nostra, juribus scriptis utantur in pluribus, „non ut juribus scriptis ligentur, sed consuetudine juxta juris „scripti exemplar moribus introducta."

Magno vero errore etiam ii ducuntur, qui docent, juris scripti et consuetudinarii provincias legis communis, cui utrasque paruisse putant, diversitate discretas fuisse, quum neutrae unam rempublicam efficerent, ideoque jus commune ipsismet proprium habere non possent.

Ex contrario jam a primis temporibus praeter magnam jurium particularium, ut dicunt, frequentiam reperimus jus commune universi regni, quod saepius in antiquis literarum monumentis generalis regni consuetudo appellatur [4]. De cujus juris communis natura veteres jureconsulti jam maxime controversabantur. Sic, ut exemplo, quae dixi, firmem, Duck in libro: „de usu et auctoritate juris civilis Romanorum in dominiis principum Christianorum" refert, saeculo decimo sexto duos senatus Parisiensis Primarios, Petrum Lizetum et Christophorum Thuanum in controversia versatos esse, in qua Lizetus contendebat, jus civile Romanorum esse Gallorum jus commune, ideoque consuetudines et constitutiones, quae essent jus Gallicum, esse jus strictum stricteque interpretandum; — Thuanus vero dicebat, consuetudines esse Gallorum jus commune, jus vero romanum tantum ra-

Digitized by Google

tionis scriptae in Gallia locum habere. — Hodie vero vix in dubium revocari potest, quin lex communis regni Franco-Gallorum jure romano et germanico simul constiterit, — ut taceam de jure canonico, quod secundum literas Philippi regis, quas supra memoravi, in negotiis et causis forensibus, quae spiritualitatem et fidei sacramenta tangebant, juris scripti vigore in omni Gallia valebat, et de constitutionibus regum, quae minoris erant momenti ad jus privatum. — Continebat vero jus illud commune tum communia instituta, tum communem doctrinam. Communia autem erant instituta, quae fundatam in tota Gallia habebant intentionem; ut exempla afferam, ex jure romano testamenta, ex jure germanico testamenti executores, — tum saisina sine apprehensione haeredibus acquisita secundum regulam „mortuus saisit vivum", quam veteres scriptores atque monumenta generalem regni consuetudinem appellant. [5] — Communis vero doctrinae utebantur praeceptionibus, ubi dijudicandae causae non sufficiebant juris particularis leges, aut de quibus partes convenerant. Tum quidem dijudicabantur juris romani instituta ex Romanorum legibus, germanica autem secundum juris germanici praeceptiones ex illorum ratione deductas. Quae praecepta cum institutis, quae spectabant, jus commune efficiebant consuetudinarium, vel, ut Beaumanoir dicit[6]: „droit qui est communs à toz ès coustumes de France", — quae erat pars quidem juris communis Franco-Gallorum, sicut jus commune germanicum privatum pars juris Germaniae communis est.

Quodsi igitur quaerimus, quae fuerit Galliae regionum in provincias juris scripti et consuetudinarii descriptionis ratio, hanc invenimus inter eas diversitatem, quod in his jure germanico, in illis jure romano saepius utebantur, quum et major romanorum institutorum numerus in his receptus[7], et germanicae consuetudines rariores atque minus perfectae essent[8], et juris germanici instituta non frequenter tabulis et pactis conventis adhiberentur; sic, ut exemplum afferam, Merlin in opere „répertoire de jurisprudence" refert[9], testamenti executores, quibus crebrius in septentrionibus utebantur, in provinciis juris scripti raro institutos esse.

Jam de juris conditione in veteri Franco-Gallorum regno dicta breviter colligam. Existebant tum in regionibus ad meridiem vergentibus, tum in septentrionibus regni

permulta jura particularia germanicae originis; ut vero haec in his regionibus erant frequentiora, ita in illis plures Romanorum leges valebant. In complexu autem corpus juris civilis nusquam erat receptum, quare jus Romanorum in universum nihil praecipui habebat, nisi quod germanica quoque instituta ratione figurae sibi quodammodo subjecerat; sic ex. gr. saisina juris germanici ad notiones juris in re atque possessionis ex jure romano depromtas revocata erat; — tum romanorum doctrina de servitutibus ad juris germanici onera realia atque jura regalia adhibebatur.

Haec fuit juris in Gallia conditio usque ad rerum publicarum conversionem anno millesimo septingentesimo octagesimo nono, imo usque ad annum MDCCCIV, quo Codex Napoleoneus promulgatus est, quum ad hoc tempus usque regni in provincias juris scripti et consuetudinarii descriptio duraverit.

Illius vero Codicis fundamentum veteris Galliae leges fuisse, primo adspectu intelligitur, hodieque vix credibile videatur, quomodo Germaniae jurisconsulti aliquamdiu eum Codicem legum sola ratione nitentium dicere potuerint. Re vera enim Codex Napoleoneus paucissimas continet doctrinas, quae non nitantur fundamento historico; inter quas inprimis numeranda praecepta de matrimonio solo conjugum consensu solvendo, quae cum Romanorum bona gratia divortio, novella constitutione CXXXIV jam abrogato, minime cohaerent.

Duo autem ex rerum natura spectare debebant Quatuorviri, quibus codex legum ad jus privatum pertinentium conficiendus erat.

Primum enim occurrendum erat juris ambiguitati, quae et in controversiis de vi juris romani aut germanici, et in eo quod jus commune magnam ad partem memoria tantum populi custodiebatur, causam habebat.

Hoc vero ita demum consequi poterant, si conficerent legum codicem, ex quo solo judices causas dijudicarent, ita ut nec propter Codicis silentium aut obscuritatem ad alia omnia confugere iis liceret [10].

Tum vero illos Quatuorviros legibus antiquis, quae tam diversitate provinciarum juris scripti et consuetudinarii, quam numerosis juribus particularibus laceratae essent, unam et quidem generalem legem substituere oportebat.

Digitized by Google

Hoc autem eo tantum consequi poterant, ut novum codicem ex legum jam existentium materie conficerent. Accuratius dicam, quod volo: generalis Franciae lex in historiae fundamentis posita ita modo confici poterat, ut veteris juris communia instituta in Codicem redigerentur, residuae vero corporis lacunae institutis particularibus eorumque communi doctrina explerentur. Ut autem juris illius particularis, ut dicunt, codificatione variarum Galliae regionum incolae a moribus consuetudinibusque, quibus ab antiquis temporibus regebantur, quântum fieri posset, minime avellerentur, novo codice recipiendae erant singulorum institutorum diversae in juribus particularibus figurae, quibus ex voluntate sua quisque uti posset. Quod, ut exemplum afferam, in Codice Napoleoneo circa bonorum rationem conjugum effectum est. Ubi vero talem tribuere pactis conventis auctoritatem ex rerum natura non licebat, illa anteponenda erant particularia instituta, quae in majore regni parte vigebant. Ita etiam explicandum est, cur consuetudinis Parisiensis, quae per magnam Franciae partem valebat, tanta fuerit in conficiendo legum Codice auctoritas.

De qua re vir juris consultissimus Tronchet, unus ex legi dicundae Quatuorviris, in Senatu ita locutus est:

> „Le Code civil doit faire cesser cette diversité qui semblait diviser la „France en plusieurs nations; mais comme il ne s'agit pas de rompre les „habitudes des Français, et que le législateur est réduit à choisir, il a „semblé juste de préfèrer les habitudes les plus universelles, qui sont celles „des pays coutumiers."

Fontes igitur praecipui juris privati Franco-Gallorum hodierni sunt Romanorum atque Germanorum leges [11]; quum cetera veteris Galliae juris elementa in redigendo Codice Napoleoneo multo minorem vim habuerint. Quod imprimis, ut jam diximus, de regum edictis valet, tum etiam de veterum parlamentorum usu, ex quo in hodierno jure modo depromta est mors civilis [12], quae quidem, ut verbo hoc moneam, Romanorum doctrina de capitis deminutione media atque maxima exculta est, minime vero a germanico instituto, quod vulgo „Friedlosigkeit" appellatur, ut nonnulli opinantur, originem ducit. Jus tandem canonicum de aliis

Digitized by Google

maximam partem causis statuebat, quam quae in codice civili definiendae erant; ubi vero ita non accidit, veluti matrimonii ac divortii respectu, — libertatis amori, quo Franco-Galli incensi erant, nimis repugnabant ecclesiae leges, quam ut in conficiendo Codice Napoleoneo magna earum vis esse potuisset[13]. —

Minime nunc id specto, ut omnium institutorum atque praeceptionum, quae in Codice gallico continentur, originem singulatim ostendam; quod si facerem, Vestra, Spectatissimi Auditores, patientia amplius aequo abuterer. Quin orationem meam in angustias ita compellam, ut gravissima tantum, quaeque adhuc neglecta fuerint, premam.

Perlustrantes primum rationem et artem, qua singulae in Codice Napoleoneo doctrinae ordinatae sunt, vix in dubium vocare possumus, quin ad imaginem Justiniani Institutionum efficta sit. Codicis enim nostri liber primus de jure statuens personarum primi Institutionum libri instar de vario hominum statu, de matrimonio, de patria potestate, aliis, tum in extremis literis de tutelis agit. Incipit secundus Napoleonei Codicis nec non Institutionum Caesarearum liber titulo „de rerum divisione"", quem, variis acquirendi dominii modis pertractatis, sequuntur de servitutibus praecepta. Tertii Codicis nostri atque Institutionum libri primus titulus est „de hereditatibus"; tum in utroque de obligationibus agitur. Intercalatus vero est in Franco-Gallorum legibus titulus de donationibus et testamentis, quae in Justiniani Institutionibus in secundi libri fine pertractantur. Quartum librum Napoleoneo Codici deesse minime mirabimini reputantes, obligationum ex delicto doctrinam, qua ultimus Institutionum liber incipit, ob minorem illarum in hodierno jure gravitatem cum aliis obligationum figuris in tertium librum collatam, — de actionibus vero titulos, deficiente hodierni temporis legibus actionum arte, omnino omissos esse.

Verum jus romanum non solum argumenti dispositione, sed etiam ratione formae, qua illud vestitum est, magnam ad conficiendum Codicem Napoleoneum vim habuit. Sic, ut exemplis quae dixi probem, lex Gallica peculiari Romanis more inter jus et possessionem distinguit, ad easque species saisinam juris germanici revocavit; — tum discernit inter jura in re et obligationes, inter in rem et in personam actiones[14], quare multum errant qui affirmant, jus Franco-Gallorum

Digitized by Google

hodiernum pro in rem actionibus tantum in rem scriptas habere [15]. Minime tamen nego, distinctionem illam inter in rem et in personam actiones nostro Codice non eadem ac in Romanorum legibus constantia servatam esse, ut jam ex eo liquet, quod interdum emtor fundi, etsi ea lege non emerit, stare debet colono, cui prior dominus locavit [16]. Porro vi, quam jus romanum ratione formae ad Codicem Napoleoneum habuit, tribuendum, quod hic de servitutibus personarum statuens usum et habitationem tamquam coordinata et diversa genera distinguit, quamvis hanc ceterum pro usus specie habeat. Denique, ut alia silentio praetereamus, — voces contractus et pacta, quas in Codice nostro invenimus, romanae sunt originis, quamvis a consuetudine latini sermonis recedens verbum contractus in Codice Gallico quamque conventionem principalem, pactum vero conventum modo adjectum significet.

Jam ut dicamus de vi et effectu, quem non formae sed ipsius argumenti ratione Romanorum leges in Franco-Gallorum legum Codicem habuerint, discernamus necesse est inter jus romanae civitatis proprium vel jus civile, et inter leges, quae ideo Romanae appellantur, quod primo Romae enuntiatae sunt, quibus vero, quum naturalis ratio inter omnes homines eas constituerit, omnes gentes utuntur, jus scilicet gentium; — quae quidem distinctio ideo facienda est, quod noster quoque Codex jurium privatorum alia ad jus civile, alia ad jus gentium refert. Has leges in Codicem Napoleoneum receptas esse, ultro liquet: eo pertinent dominii, servitutum, nec non plurium contractuum instituta horumque doctrina [17], — licet tantum absit, ut Romanorum de obligationibus compositum artificium apud Franco-Gallos totum receptum sit, ut apud hos Germanorum lex valeat, qua fides modo data atque accepta causam obligationis civilem generat.

Sed etiam ex jure Romanorum civili nonnulla instituta, etsi quodammodo mutata, hic liber legum recepit, quibus cives soli uterentur [18]. His accensenda sunt privilegia dotis, adoptio [19], usucapio, conjugis superstitis succedendi jus ex ordine „unde vir et uxor“, alia.

Jam tempus est ad alteram quaestionis, quam instituimus, partem accedendi. Designabimus Codicis nostri ex germanico jure depromta elementa.

Digitized by Google

Primum magnam ad jus personarum vim Germanorum mundium habuit. In cujus fundamento posita est Codicis Napoleonei patria potestas, quam aliter ac ex jure romano deficiente patre mater exercet, utens fruens illo mortuo bonis liberorum[20]. Quod etsi antiquo Germanorum juri contrarium est, accomodatum tamen est figurae mundii in medii aevi consuetudinibus, inter quas, ut hoc exemplum afferam, consuetudo Rhemensis saeculi tertii decimi haec verba continet: „mortuo patre liberi in mainburnia matris remanent“[21]. Solvitur autem patria potestas Germanorum more, simulatque liberis haud amplius utilitati est; quod tempus ex Codice gallico, hic quoque non antiquum jus, sed consuetudines sequenti[22], venit, si liberi matrimonium inierunt aut majorem attigerunt aetatem[23], id est impleto aetatis anno vicesimo primo, ut jam edictis Sancti Ludovici regis statutum[24].

Mundii quoque fundamento nituntur rationes, quae inter maritum et uxorem intercedunt, imprimis, quod uxor sine mariti consensu nec in judicio stare, nec alienare, ne acquirere quidem potest[25]. Porro etiam bonorum communio, quae, nisi alia lege matrimonium inierint, inter conjuges constat[26], et ususfructus, quem maritus in bonis uxoris habet, si tabulis nuptialibus communio exclusa, separatio tamen bonorum non pacta est[27] ex mundio illo sequi mihi videntur, ex quo maritus „sicut in mulierem, ita et de rebus ejus potestatem habet“[28].

Jam ut ad jus circa bona me convertam, ad leges Germanorum referenda est ex consuetudinibus[29] depromta divisio non solum rerum corporalium sed etiam incorporalium, id est jurium et actionum, in res mobiles et immobiles[30].

Maximam vero in hodiernum jus privatum vim Germanicum saisinae institutum habuit. Etenim inde primum explicatur, quomodo jus in re immobili sola conventione in alium transferri possit[31]. Hujus enim legis originem in eo invenimus, quod in plerisque veteris Galliae consuetudinibus, — exceptis illis, quae „de saisine et de nantissement“ appellabantur, paulatim solemnis tradendae saisinae vestitura adeo in desuetudinem abierat, ut clausula traditionis vel quasi traditionis tabulis contractus coram tabulario inscripta sufficeret[32], quae vana sane formula in Codicem nostrum nequaquam recepta est. — Ad saisinam quoque referenda est celeberrima nostri Codicis lex his fere verbis concepta: „in rebus mobilibus

possessio valet pro titulo", ex qua dominium rei mobilis sola possessionis apprehensione acquiritur, vindicatio autem tantum ob rem furto ablatam aut deperditam locum habet[33]. Nec minus saisinae instituto explicatur, quod heredes, ut Pauli de Castro ad l. XXX D. de acquir. possess. verbis utar, in possessionem defuncti succedunt, quae transfertur in eos sicut et dominium; — nam eadem haec est sententia veteris proverbii „mortuus saisit vivum", quod illustrissimus Cujacius „vocem de via collectam" dicit[34]. — Ex germanico etiam jure depromta est annua possessio, quae ad interdicta requiritur[35]; quum Germanorum moribus accomodatum sit, id tantum pro legitimo habere ideoque usque ad contrarii probationem tueri, quod per annum et diem duraverit[36]. Quantum vero illa populi propria juris elementa germanica ad hunc usque diem apud Francos valeant, ex eo apparet, quod summum Lutetiae Parisiorum rescindendis sententiis judicium, contra legis adeo verba, dejecto colono remedium spolii dat.

Sed ne longus sim, sola adhuc attingam transcriptionis nec non inscriptionis instituta, ex Germanorum lege, secundum quam in rebus immobilibus jura palam tradenda erant, depromta, licet transcriptio minime ad transferendum jus in re, sed duntaxat ad acquirenda commoda removendaque incommoda quaedam necessaria sit[37], — hypothecarum vero inscriptio non constanter requiratur[38].

Restat, ut pauca de germanicis juris circa mortis causa successiones originibus dicam. Quod jus quum peculiari Germanorum more in gentiliciae conjunctionis fundamento positum sit, inde explicatur, quomodo Codice legum nostro inter legitimos heredes et alios ab intestato successores distinguatur. In illos enim, ad quos consanguinei tantum legitime nati referuntur, possessio atque dominium rerum defuncti statim transfertur; — alii successores, velut liberi extra matrimonium nati et conjux superstes, in bona mitti debent[39]. Porro legitimis heredibus constanter tota defertur hereditas, ita ut hi aliis ab intestato successoribus iisque, qui mortis causa donati sunt, portiones eorum tradant. Quo explicatur peculiaris testamenti franco-gallici nec non germanici natura, Romanorum codicillo ab intestato similis, quum ex illo scripti portiones suas e manibus heredum legitimorum accipiant, neque heredis institutio ad testamentum necessaria sit[40]. Distinguitur

Digitized by Google

tamen Codice nostro inter lineae rectae et transversae consanguineos. His testator totius hereditatis saisinam, qua illos excludere nequit, aufert instituendo ex asse legatarium, qui ipso defuncto omnium bonorum possessionem atque dominium, legitimi heredis instar, acquirit. Donare porro, cui ex recta linea heredes sunt, certam modo partem bonorum potest, dum ex transversa linea cognatis omnia detrahere ei licet[41].

Alia germanicae consuetudinis vestigia invenimus in testamenti executorum instituto, quod dubia testamentorum prioris temporis auctoritate natum est[42]; — tum in ascendentum cum ex latere venientibus successione in lineas[43], in pactis successoriis, quae vero ut jam ex consuetudine generali saeculi sexti decimi in tabulis nuptialibus tantum permissa[44], aliisque.

Sed jam tempus urget, quare ad ea me convertam, cujus potissimum causa convenimus, renuntiaturus nomina eorum, qui in certaminibus academicis, a CAROLO FRIDERICO immortalis memoriae principe institutis, palmam reportarunt. Antea tamen pro more consueto, quae nostrae literarum universitati anno praeterlapso acciderint, breviter exponam.

Rectori nostro magnificentissimo, FRIDERICO MAGNO BADARUM DUCI, natus est filius primogenitus, illustrissimae Zaringiorum stirpis spes. Quae res quanta laetitia nostrorum animos perfuderit, academia nostra, intimo vinculo cum Principum domo conjuncta, ut amatissimo Magno Duci nuntiarent, prorectori et quatuor decanis mandavit. Qui gratulabundi a clementissimo Principe non solum benignissime excepti, sed etiam, ut huic universitati honos haberetur, jussi sunt, sacro baptismati filii Principis in spem imperii geniti interesse.

Sed alia quoque beneficia FRIDERICUS, Princeps noster clementissimus, in hanc academiam per annum praeterlapsum contulit.

Subvenit enim rebus nostris ita, ut summam ex aerario dari juberet, qua Ruperto-Carolae necessitatibus suppeditaretur.

Digitized by Google

Insignibus Leonis Zaringiae equestribus condecoravit collegas nostros aestumatissimos BUNSEN, HUNDESHAGEN, MOHL, LANGE, HÄUSSER, viro jure consultissimo DE VANGEROW insignia secundae classis illius ordinis tribuit.

Pariter Rectoris nostri Magnificentissimi gratia universitati nostrae hoc anno professores extraordinarii adscripti sunt, ordini jureconsultorum JULIUS JOLLY, ordini medicorum ADOLPHUS KUSSMAUL, nec non philosophorum ordini viri doctissimi THEODORUS SCHLIEPHAKE, GUSTAVUS LEONHARD et AUGUSTUS FRIDERICUS BORNTRÄGER.

Privatim docendi facultas data est doctoribus, in ordine jureconsultorum FRIDERICO VERING, in ordine medicorum GUILELMO WUNDT, tum in philosophorum ordine GEORGIO DE HOLLE, EMILIO ERLENMEYER et JOANNI HENRICO MEIDINGER.

A nobis discesserunt doctores, ex ordine jureconsultorum HERMANNUS FITTING ad capessendum munus professoris extraordinarii Basileam vocatus, ex ordine philosophorum MAXIMILIANUS NELL.

Auditorum nostrorum numerus commilitonum per duo novissima semestria receptorum numero fere par exstitit. Omni vero laude digna est tranquillitas et legum observantia civium academicorum, qua muneris nostri curae multum hucusque nobis levatae sunt. Neque dubito, quin in illa optima via ad ipsorum salutem et universitatis nostrae splendorem permaneant; — quod ut ita sit, ex intimo animi sensu opto precorque.

Temperare mihi non possum, quominus paucissimis verbis adhuc mentionem faciam piae causae, a nobilissima muliere EMMA OBERMAYER fundatae, ex qua ad concelebrandum diem supremum filii EDWINI, juvenis optimae spei, nostri olim commilitonis, quem immatura mors abripuit, quotannis stipendium quadringentorum florenorum uni ex civibus academicis, ordini jureconsultorum nostro adscriptis, tribuitur.

Neque silentio tandem praetermittam donum quingentorum florenorum, in honorem nuptiarum clementissimi Principis MAGNI DUCIS FRIDERICI cum amatissima

Domina LUISA, a viro, qui nomen suum profiteri noluit, factum, e cujus usuris quotannis theologiae studiosus e dioecesi Eppingen sustentaretur.

Hic quoque gratias reddam viro doctissimo de academia nostra bene merito HAUTZ, Magno Duci Badarum a consiliis aulae, qui non solum dictarum, sed omnium piarum causarum, quibus haec universitas fruitur, instrumenta fundationis et statuta collegit eademque typis exprimi curavit.

Jam accedamus ad quaestiones anno praeterlapso propositas.

Ordo theologorum hanc quaestionem proposuerat.

„Exponatur controversia de vi et usu traditionis in ecclesia, ita quidem, „ut tam origines ejus saeculo sexto decimo enarrentur, quam quae nostro „aevo ea de re disputata sunt, dijudicentur."

Una oblata est dissertatio, inscripta Chrysostomi verbis:

„παράδοσις ἐστί, μηδὲν πλέον ζήτει".

de qua Ordo theologorum hanc tulit sententiam:

„Auctor cum quaestionem ab Ordine, ut ipsi quidem videbatur, arctioribus finibus circumscriptam ex superiore quodam loco considerandam ejusque terminos multo amplius proferendos esse professus sit, in aliam plane rem inquisivit atque Ordo ab eo proposcerat. Inde factum est, ut illis quaestionibus, ad quas tractandas magnitudine quadam ingenii excitatus sese accinxit, parem se non exhiberet neque id, quod suum erat, satis accurate et circumspecte perscrutaretur singularumve rerum rationem haberet idoneam. Gravissimarum notionum explicatione neglecta ne ipsius quidem traditionum notionis origines ex historia satis illustravit; in rebus historicis haud raro graviter peccavit; ubi sobrie in res ipsas indagandum erat, praecoci saepe levitate judicavit; longinqua petendi studio abreptus operis volumen longe prolixius extendit; mira quaedam et plane nova proferre, res pusillas grandibus effari verbis cupidus formularum copia lectorem obruit, patrium sermonem novis plane, partim ex latina lingua petitis, partim ab auctore ipso effictis vocabulis foedavit. His de causis ordo commentationem praemio ornandam esse non censuit. Nihilominus cum auctor in re sua magna diligentia et multimodo studio versatus

Digitized by Google

sit, theologicarum literarum et veterum et recentiorum cognitionem haud spernendam comprobaverit, magnum rerum apparatum in justum quendam ordinem redegerit neque judicio ac sagacitate in aliquibus locis destitutum se exhibuerit, his omnibus religiose perpensis honorifica mentione dignam esse commentationem existimavit. Accedat igitur auctor intra bidui spatium ad directorium academicum, ut schedula reclusa nomen suum in Prorectoris magnifici oratione typis expressa appareat."

Postulaverat Philosophorum Ordo, ut exponeretur:

„Quid Tacitus de philosophorum suae aetatis placitis senserit."

„Tres juvenes, quod valde laetamur, in arenam descenderunt certaturi: qui omnes laudabili studio ac diligentia in hac quaestione tractanda versati sunt, neque vero pari successu. Etenim is, qui verba:

Periculum est credere et non credere

Erit ille tibi notus, quem per te cognoveris

libello suo adscripsit, quaestionis propositae vim atque ambitum vix perspexit neque eam attulit philosophiae antiquae cognitionem, qua, qui hanc ad quaestionem solvendam accedit, instructum esse oportet. Itaque licet Taciti scripta diligenter perlegerit indeque singulos quosdam ad quaestionem propositam pertinentes locos attigerit, tamen id, quod summam rei continet, neglexit neque ullo modo ad quaestionem propositam respondisse putandus est. Latina, qua utitur, oratio facilis quidem est intellectu, sed minus pura vernaculamque linguam hic illis redolens.

Alter, qui libellum nobis exhibitum inscripsit verbis:

Fortes enim non solum fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis;

quaestionis vim melius perspexit eamque tribus partibus solvere studuit, minus ipsius Taciti scripta secutus quam recentioris aetatis virorum doctorum disputationes; qui cum in Ethica philosophiae parte fere una versatus reliquas partes praetermitteret neque Stoicorum aliorumque illius aetatis philosophorum eam, quam debebat, rationem haberet neque eorumdem placita cum Taciti sententiis accurate contenderet,

Digitized by Google

totum Epicureum nobis exhibens Tacitum, quaestioni propositae satisfecisse judicari nequit: praeterea sermone Latino utitur a mendis vitiisque non prorsus libero.

Quibus longe praestat auctor libelli, cui verba sunt inscripta:

nil tam frugiferum est, quam magnorum ingenia hominum noscere.

Etenim recte intellexit, de quo quaesitum erat summaque cura ac diligentia in quaestione tractanda ita versatus est, ut primum de singulis Taciti scriptis accurate ageret et in ipsius historici eruditionem omnem inquireret, deinde quaereret quam vim philosophorum illius aetatis placita in Tacitum rerum scriptorem habuerint, singulis hujus scriptoris locis summa diligentia allatis. Itaque per tres partes, quibus continetur antiqua philosophia, argumentum est persecutus atque sedulo indagavit, quid quaque in parte Tacitus ab aliis suae aetatis philosophis deprompsisse videatur, in quo differat et ab iis recedat; in qua disputationis parte et Plinii et Senecae praecipuam rationem habuit eorumque placita cum iis, quae in Tacito reperiuntur, apte contulit, ita ut ad laudem proxime accessisse videatur. Sermo Latinus purus adeoque elegans, investigandi ratio subtilis, judicium subactum ubique cernitur. Quae cum ita sint, auctorem hujus libelli praemio ornandum esse judicavit ordo philosophorum."

Schedula reclusa nomen comparet:

JOANNES JULIUS BAUMANN,
theol. et phil. stud., Francofurtanus.

In proximum annum hae proponuntur quaestiones:

Ordo theologorum postulat:

„Disseratur de praedestinatione ita, ut quid Augustinus, Lutherus, Calvi-
„nus et Schleiermacherus de hac doctrina diverse statuerint, primum
„examinetur atque enarretur, tum cum S. Scripturae testimoniis com-
„paretur."

Ordo jurisconsultorum proponit quaestionem:

„De conditione feminarum secundum jus romanum antiquum."

Digitized by Google

Ordo medicorum postulat:

„Indagentur perscrutatione microscopica transformationes, quae in gra-
„nulationibus suppuratione productis fiunt, inde ab eorum origine usque
„ad perfectam cicatrisationem.“

Ab Ordine philosophorum duae proponuntur quaestiones:

1. Disseratur de foederis Rhenani a Napoleone M. conditi origine, legibus, institutis, moribus et rebus gestis;
2. Die Landwirthschaft des Odenwaldes.

Quaestiones ab Ordine medicorum et ab Ordine philosophorum propositas tractaturis usus vernaculae linguae conceditur.

Jam habetis, Commilitones, argumenta laboribus vestris digna; Vestrum erit acri studio de praemiis a CAROLO FRIDERICO vobis destinatis certare.

Restat adhuc, ut Faustissima quaeque exoptemus et a numine divino precemur pro FRIDERICO MAGNO DUCE ac Rectore Academiae nostrae Magnificentissimo, — pro tota ejus Domo Augustissima, — pro Summis Viris, quorum consiliis Serenissimus Princeps utitur, — pro universitate literarum nostra, quam incolumem Deus Optimus Maximus servet. — Dixi.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADNOTATIONES.

*) Eine solche Abkürzung bei Rückfälligen überhaupt auszuschliessen, gibt es, vielleicht mit Ausnahme der Gewohnheitsdiebe, schwerlich einen hinreichenden Grund.

möglich angeben, nicht vor Ablauf etwa der Hälfte der im ersten Urtheil zuerkannten Strafdauer zu fällen sein; im Fall entschiedener Besserung — obwohl auch hier, wie bei Verurtheilungen und überall bei nicht mathematischen Fragen die höchste Wahrscheinlichkeit für Gewissheit genommen werden darf und muss — würde dasselbe dann auf alsbaldige entweder *unbedingte* oder *bedingte* Freilassung lauten müssen, nämlich auf eine an die *Bedingung des Wohlverhaltens* während der ganzen zweiten Hälfte der früher verhängten Strafdauer geknüpfte, in ähnlicher Weise wie diess in England durch Ertheilung einer Freilassungs- oder Beurlaubungsurkunde (ticket of leave) durch die Regierung geschieht und in Belgien im Werk ist. Im Fall neuer Vergehen oder auch nur schlechter Aufführung wäre dann der Entlassene ohne Weiteres wieder in die Strafanstalt zurückzubringen, um, je nach Umständen, entweder die ganze noch übrige Strafzeit oder einen Theil derselben dort zu verbüssen.

Ohne Zweifel liegt in einer solchen gesetzlich eröffneten guten oder schlimmen Aussicht ein sehr kräftiger äusserer Antrieb, der die innern Antriebe zum Guten wesentlich verstärkt und darum schon aller Beachtung werth ist. Einer besonderen Beleuchtung bedürfen aber noch die Voraussetzungen, unter denen allein sich grosse Hoffnungen darauf bauen lassen — vollends sobald die Entlassenen nicht durch vorherige Verbringung in eine Ansiedlung, also in ganz andre Verhältnisse und Umgebungen, sehr vielen Versuchungen entrückt sind, die ihnen in der Heimat im Wege stehen.

Vorher sei nur noch bemerkt, dass der Vorschlag solcher *vorläufigen* Freilassungen auf Probe (den auch das Programm mit Recht aufgenommen hat) dem Geist der Besserungsstrafe ganz entspricht, und dass überhaupt die Abhängigmachung der Strafzeit (nämlich ihre Abkürzung und sogar ihre Verlängerung) wenigstens zum Theil nicht sowohl von *äusserlich* guter oder schlechter*) Aufführung, als von den Anzeichen wirklicher Bekehrung und Besserung oder des Gegentheils auch in Deutschland keineswegs ohne Vorgang ist. Um von ältern Rechten und von den auch heute üblichen Beurlaubungen Kranker aus dem Gefängniss nicht zu reden, die wenigstens beweisen, dass man die Urtheile nicht für ganz unabänderlich hält, erinnern wir nur daran, dass z. B. das preuss. L. R. (§. 1160.) geradezu eine „Anhaltung des Verbrechers auf *unbestimmte* Zeit, bis er sich gebessert habe", vorschreibt; dass in Württemberg „der Richter nur ein Minimum der Strafe *bestimmt* auszusprechen hatte, mit dem Anhang, dass der Verbrecher nach dessen Erstehung noch so lange in Haft zu bleiben habe, bis er wirklich gebessert sei." Auch das bairische G. B. kennt Verurtheilungen auf unbestimmte Zeit. Ebenso kennen die meisten neuern Gesetzgebungen, z. B. die preussische (z. B. §. 117—120; 146.) und badische, eine entweder gerichtlich oder nur polizeilich zu verfügende Verbringung sogar der aus einfachem Gefängniss, und nicht etwa bloss aus dem Zuchthaus, Entlassenen in ein „Arbeitshaus" oder eine „polizeiliche Bewahranstalt" auf längere oder kürzere Zeit (in Preussen bis zu 3, in Baden bis zu 5 Jahren), worüber je nach Umständen die *Verwaltungs-* (Landespolizei-) Behörde zu entscheiden hat.

Niemand kann hiernach leugnen, dass der *Sache nach* wenigstens in *gewissem* Maase der Grundsatz die Anerkennung bereits gefunden hat, die wir *allgemein* für ihn in Anspruch nehmen müssen. Wie könnte doch auch jemals das Recht fordern, dass man z. B. einen völlig ungebesserten, höchst bösartigen und gefährlichen Verbrecher bloss darum wieder auf seine Nebenmenschen loslasse, *weil* die ihm aus Irrthum des Richters viel zu

---

*) Dass für den Fall *dauernd* schlechter Aufführung, schon weil eine solche bezeugt, dass Besserung nicht vorhanden ist, die gewöhnlichen Ordnungsstrafen nicht ausreichen, sondern nur eine Verlängerung der Strafzeit helfen kann, ist klar.

Digitized by Google

kurz bestimmte Strafzeit so eben abgelaufen ist. Nichts ist gewisser, als das ein Solcher schlechterdings länger eingesperrt bleiben muss, und zwar von Rechtswegen, obwohl diess heute noch immer nur von Polizeiwegen verfügt wird. Dass es aber zum Mindesten gefährlich erscheint, eine solche Strafverlängerung lediglich dem Ermessen der Polizei anheim zu geben, wird kaum irgend Jemand ernstlich in Zweifel ziehen. Also ist unfehlbar der einzig richtige Weg ein zweites richterliches Urtheil, das auf eine längere oder kürzere Zeit der Prüfung den früheren Strafansatz erweitert.

4) Die vorstehende Betrachtung führt noch auf die Besprechung einiger, durch denselben Besserungszweck, dem die Freiheitsstrafe entsprechen soll, erfoderten Ergänzungsmassregeln, die den Uebergang zur vollen äusseren Freiheit vermitteln müssen, wenn die Gefahr des Rückfalls kaum genesener sittlich Kranker bei plötzlicher Beseitigung aller bisherigen Schutz- und Vorsichtsmassregeln abgewandt werden soll. Zwar erstarkt durch die Einzelhaft die innere Gesundheit und sittliche Widerstandskraft gegen äussere Versuchungen unvergleichbar — während man, aller Erfahrung zuwider, das Umgekehrte sich eingebildet hat —; dennoch aber darf man auch bei den aus ihr Entlassenen keineswegs auf „das blosse Oeffnen der Gefängnissthür" sich beschränken. Eine angemessene Nachkur ist auch für sie Bedürfniss, aber nicht etwa die durchaus nur störende, negative, gehässige polizeiliche Aufsicht, die schlechterdings nur vom Uebel ist, sondern an deren Stelle die Fortführung des im Zellengefängniss mit Erfolg geübten guten Werks vormundschaftlicher Zwangserziehung als eines positiven Mittels. Darin liegt denn auch die unerlässliche Bedingung, deren nähere Angabe wir oben vorbehalten haben, unter der allein die verläufige Freilassung nach Verfluss etwa der halben Strafzeit — wie sie seit 1853 in England auch für den Fall der Nichtverbringung in die Ansiedlungen für zulässig erklärt worden ist — nicht nur unbedenklich sein wird, sondern die allerhöchste Wahrscheinlichkeit des besten Erfolgs für sich hat. Die bisherige völlige Unbekümmertheit des Staats um die Entlassenen ist daher ganz unverantwortlich und fällt auf ihn selbst zurück. Er darf die Fürsorge für sie nicht, als ein blosses christliches Liebeswerk, der Kirche und freien Vereinen überlassen, sondern muss auch seinerseits deren Bemühungen die Hand reichen und ihnen rechtlichen Halt geben, wenn sie nicht zu völliger Bedeutungslosigkeit einzuschrumpfen Gefahr laufen sollen. Er thut diess, indem er auf bestimmte Zeit nach der Freilassung die Oberleitung jedes Freigelassenen mit Rath und That einem, von dem Schutzaufsicht-Verein aus seiner Mitte frei zu erwählenden, besondern Vormund oder Pfleger (gleich als Schutzpatron) anvertraut und an dessen Zustimmung bei allen entscheidenden Schritten ihn bindet, dessen Verwaltung zugleich das aus dem Verdienstantheil und Ueberverdienst des Gefangenen ersparte Sondergut zu übergeben ist und der wo möglich diesen schon während der Gefangenschaft kennen gelernt und sein Vertrauen sich erworben haben sollte. Erst in einer ähnlichen rechtlichen Stellung des Entlassenen, wie des Klienten zum Patron, des Pflegbefohlenen zum Pfleger, wie sie in St. Gallen bereits besteht und für Württemberg vorgeschlagen worden ist*), gelangt die Besserungs-Strafererziehung wahrhaft zur Vollendung und der Staat hat damit das Seinige vollständig gethan, während bisher die polizeiliche Aufsicht und die Verbringung in polizeiliche Bewahranstalten, die von dem alten Zuchthausgeist durchdrungen sind, fast überall das Ihrige gewirkt haben, das Gute, was das Zellengefängniss aufgebaut hatte, wieder niederzureissen.

*) S. den Ausschussbericht der zweiten Kammer (von Probst) über die Zellenhaft vom 9. März 1857 S. 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
JURIS COLLECTIONIBUS
SUB AUSPICIIS
JUSTINIANI ET NAPOLEONIS
FACTIS.

PARSONS LIBRARY
University of
MICHIGAN

COMMENTATIO
QUAM
PRO CELEBRANDIS NATALITIIS PRINCIPIS B. M.
CAROLI FRIDERICI
BADARUM NUPER MAGNI DUCIS
HEIDELBERGENSIS LITERARUM UNIVERSITATIS
RESTITUTORIS
DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCXLI

SCRIPSIT
C. FR. ROSSHIRT.

INSUNT QUÆDAM DE JURE ACCRESCENDI, ET DE ERRORIBUS, QUI ILLIS LEGIBUS HAC DE RE ORTI SUNT.

HEIDELBERGAE.
TYPIS CAROLI GROOS, BIBLIOPOLAE ACADEMIAE ET TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Academiae nostrae Restitutori, CAROLO FRIDERICO, hic dies festus dedicatur piis patriae votis, coronis commilitonum industriae erogatis, fausta felicique totius urbis celebratione.

Qui dies cum publice dicendi necessitatem mihi imposuerit, ut benigne me audiatis orationemque hanc ab omni doctrinae subtilitate remotam accipiatis precor.

Quum jurisprudentia tantum pro parte orbis terrarum divinos fructus ferat, et ex decretis judiciorum optime constitutorum ipsis saepissime pro jure injuria fiat: quia non solum ex legis verbis sed potius ex lege cognita et ex mente legis jus desumendum est, et quod plurimis adeo legibus pessima respublica fit denique ex legibus ipsis inspectis et invicem comparatis minime accurata juris perceptio efficitur: quaerendum videtur, quare praecipue nostro tempore res judiciaria ita fere administretur, ut pauci tantum judices splendeant vera Jurisconsultorum laude.

Digitized by Google

Quum vero haec quaestio amplioris indaginis sit, quam ut nos his temporis angustiis inclusi ei satisfacere possimus: mentem ad id unum, quo prae omni re magistratuum eruditio et industria probetur, advertamus, utrum Justinianus et Napoleo Imperatores operibus suis jurisprudentiam simpliciorem, meliorem, locupletiorem fecerint, an desideriis JCtorum sui temporis satisfacere sibique, destruendo noviterque inaedificando, nominis immortalitatem quaerere voluerint.

Primum negare, alterum contendere placet.

Jus Romanum privatum jam prima aetate ab omni jure publico et sacro separatum, tum exaequatis Plebeiorum et Patriciorum juribus, paucis legibus absolutum, judiciorum ordini et mori, praetoriisque edictis relictum est. Rebus per longum tempus hac ratione judicatis juris privati prudentia ita exculta est, ut actionibus certis et nominatis omnia jura definirentur et absolverentur, et ut nonnulla tantum arbitrio et aequitati in rebus decidendis permitterentur. Quo tamen modo discrimen illud in actiones stricti juris et bonae fidei, in actiones arbitrarias et in actiones in factum ortum est.

Cum jus civile et praetorium denique in unum quasi collecta essent, indeque disciplina ipsa peculiaribus JCtorum libris conficeretur, sententiis quoque receptis Prudentum rescriptis et edictis Principum jus ipsum magis magisque augeretur, omniaque rursus quasi incerta fierent plurimis in factum, arbitrariis et bonae fidei judiciis: placuit *Justiniano*, totum jus congeri in duas collectiones: in altera collectione jus non rite congestum, in altera non prudenter mutatum et perfectum est.

A. Jus in Pandectis non rite congestum, sed potius digestum est.

Quum *Justinianus* auctores adhiberet, qui multis jam ante ipsum saeculis non solum de jure tunc vigente, sed etiam de fontibus prioribus disserent, et tamen ex ipsis jurisprudentiam sui temporis hauriendam opinaretur, non raro factum est, ut illis alias definitiones supponeret, quam quae ab eis cogitatae et scriptae erant: e. g. in lege prima libri Pandectarum de legatis *Justinianus* aliud quid significavit, quam quod in mente Ulpiani latebat: in l. 47. §. 1. Pandectarum de negotiis gestis *Justinianus* discrimen sustulit inter actionem

Digitized by Google

directam et utilem, cum JCtus ipse tantum de actione negotiorum gestorum directa et utili egerit, de re prorsus singulari quam maxime apta ad jus extendendum, quare de hoc argumento varia etiam in Codicis titulo de negotiis gestis inveniuntur.

Quanquam plura juris instituta *Justiniani* temporibus nullo modo applicanda neque a pragmaticis illorum temporum recognita erant, e. g. jus *Julianum* et *Papianum;* Imperator tamen ejusmodi auctorum scripta expilavit, quae vero iis rebus non respondebant, quas *Justinianus* ipse in Codice sanciebat.

Atque hoc modo factum est, ut Imperator neque in Pandectis neque in Codice Constitutionum clarius et accuratius res suas novas exponeret, neque nostris interpretationibus firmum fundamentum et praesidium certum praeberet.

Quum ergo Digestorum conceptio historica tantum ratione tractari debeat, ideoque *Justinianus* vel *Tribonianus* falsam fidem non magis adhibuisse dicendus sit, quam ille Pseudo-Isidorus pessime tractatus: maximum inde discrimen apparet inter jus Romanum et Codicem Napoleoneum, qui ipse cum sententiis ac verbis potius ei statui rerum, qui nunc obtinet, se applicare soleat.

Sed *Justinianus* historicam explicandi rationem non significavit, neque ideo usum juris docuit: in medio stetit sibimet non ubique confisus e. g. in fideicommissis ab *Augusto* introductis post *Theodosium* sine codicillorum solennitate relinquendis.

Hinc illae lacrymae; JCtorum nostrorum nonnulli, Digesta esse monstrum horrendum, clamant. Alii contra in illis veram et sufficientem juris Romani philosophiam simul et historiam inveniri posse praedicant.

Posteriores, qui hac ratione explicandis Digestis operam dederunt, in eo institerunt, juris scientiam esse artem historicam, sed ipsi non ab omni parte rem inspexerunt: jurisprudentia potius est scientia et notitia justi et injusti, non mortuis sed vivis applicanda eodem modo, quo cognitio rei naturalis in investigandis viribus naturae constat et semper in humanam ipsam salutem adaugetur. Juris scientia est quasi dux prudentiae eorum hominum quibus res judiciaria administranda est.

Sed tamen hanc Pandectarum collectionem *Justinianus*, qui jus sui tempo-

Digitized by Google

ris congerere vellet, historica ratione conficere non satis ipse ausus est. Quum nihil aliud ex hoc corpore juris enucleati quam constitutionem ab ipso latam efficere vellet, a vero iterum aberravit, membra disjecit: sed unum id consecutus est, ut JCtorum Romanorum acumen et sagacitatem *in inveniendo et interpretando* admiremur, librosque habeamus sui generis unicos, ac prorsus primarios, quales sunt libri Sscti Evangelii.

Officio legislatoris non satisfecit Imperator. Pandectae tamen, cum omnes reliqui fontes antiqui juris non amplius extent, non solum antiquitatis, sed et novarum rerum aequalibus nostris sunt unicum et quasi perfectum juris scientiae documentum.

Cujus interpretatio, ut per se difficillima est, ita impeditior redditur mendis, consiliique temeritate, quae *Justiniani* culpa commissa sunt [1]).

Haec vero de Digestis hoc loco sufficiant, quod opus *Justiniano* desperatum videbatur, cujusque rationes et vires a nostris Juris Doctoribus post *Cujacium* et alios luculenter intelliguntur.

B. Quae *Justinianus* in collectione jurium perverse fecit, nullo modo correxit in novo jure constituendo. Cum Aegidius a Löhr indicem constitutionum, quae a *Constantino* usque ad *Justinianum* promulgatae sunt, fecerit: mihi relictum est, ut paucissima de constitutionibus *Justiniani* ex ordine Codicis *Justinianei* referam.

Nostri temporis non interest, quid *Justinianus* in primo libro de ecclesiis et episcopis et *Christianis* constituerit, quia haec solummodo ad historiam ecclesiasticam et ad jus canonicum priorum saeculorum pertinent: nostri non in-

---

1) Conferas — inter plurima exempla *ea* quae a JCtis Romanis relata sunt de computanda quarta Falcidia legatorum annuorum, alimentorum et ususfructus. Duae sunt rationes: una, quae cautionibus adhibitis perficitur (si vel unus legatarius adest, vel plures in annuis legatis instituti adsunt simulque cum iis succedunt, qui in solida re vocati sunt) altera, quae *definitiva* quasi transactione computatur ex principiis legis sexagesimae octavae D. ad l Falcidiam. Conferas quoque doctrinam celeberrimam de juris et facti ignorantia, de qua Savignyus tom. III. Pandectarum disserit, Papinianum solum de errore feminarum locutum esse, licet Justinianus generalem inde exhibeat juris divisionem. Quae vero a Savignyo satis probata fuisse non apparet.

Digitized by Google

terest, quid imperator de jure tum temporis publico vel de regia majestate vel de magistratibus eorumque officiis protulerit, parum ipse jus Constantini mutans. Neque dicamus de iis quae *Justinianus* confirmavit e. g. in lege ultima de pactis, sed in iis solum immoramur, quae immutavit.

In secundo libro Codicis constituit de in integrum restitutione [1]) (inter quae loquitur de notione legitimae vel perfectae aetatis. l. penult. et ult. Cod. 2. 45.) novam legem fert pactorum initorum cum arbitris comprommissariis (l. 4. 5. Cod. 2. 56.); negotiorum gestorum actionem, uti jam protulimus, fovet et extendit. (l. 47. §. 1. D. 3. 5. et l. ult. Cod. 2. 19.)

In tertio Codicis libro quaedam de lite peragenda statuuntur v. c. de lite triennio finienda, de recusatione judicis, de plus petitionibus et de juramento calumniae (Cod. 2. 59. l. 3 — 18. Cod. 3. 1.): tum nova exhibentur in jure privato.

1) *Inofficiosae* leges latae sunt de *inofficioso* testamento. In lege tricesima facit *Justinianus* verba „*vel alio modo subvertendum*" interpretibus difficillima; in lege tricesima quinta transmissionem in heredes heredis constituit, quae lex inimica videtur legi vicesimae secundae §o primae cod. de jure deliberandi; in lege tricesima septima de quasi castrensi peculio disputat sine respectu castrensis peculii.

2) Imprudenter collectae sunt constitutiones tituli tricesimi primi. Nec nostris temporibus historia hereditatis petitionis, quae *mixta personalis* [2]) et *bonae fidei* est, satis intelligitur. Ipse *Justinianus* infaustam constitutionem dedit [3]), hanc actionem tanquam generalem personalibus actionibus quasi addidit, bonae fidei actionem (ne in posterum dubitetur) constituit, non addita ratione, cur prius dubitatum sit.

---

1) Minorum l. ult. Cod. 2. 41. l. ult. cod. 2. 47. l. ult. cod. 2. 51. De anno utili in quadriennium continuum transfuso l. ult. Cod. 2. 53.

2) l. 7. Cod. h. t. Rosshirt Zeitschr. tom. IV. in fine.

3) l. ult. Cod. h. t.

Digitized by Google

3) Controversiarum maximarum, quod adtinet servitutes, in suis constitutionibus ipse occasionem dedit [1]).

4) Ex lege ult. Cod. tituli tricessimi octavi intelligitur, antiquam collationem emancipatorum jam tunc et ante novellam centesimam decimam octavam in usu juris non obvenisse, cum filii filiaeque donationem propter nuptias vel dotem habeant praecipuam si in testamento pater de hac re tacuisset.

5) In lege ult. tituli quadragesimi tertii est celeberrima lex ludorum — edictum quasi praefecti morum, adjuvante episcopo exercendum: simul contra blasphemos et perjurantes.

In quarto Codicis libro quaedam sunt, quae ad contractus spectant [2]): nihil tamen plane novi introduxit imperator. Stipulatio adhuc fuit contractus generalis, nec commutari potest cum instrumentis emtionis venditionis, locationis conductionis, et emphyteuseos: ipsa enim stipulatio, si scriptis celebrabatur, ex una parte fuit contractus perfectus, ex altera instrumentum probationis vel plenariae securitatis.

Novus fuit contractus literalis per exceptionem non numeratae pecuniae.

Donatio facta est pactum legitimum. De constituta pecunia et de beneficio divisionis, si plures in solidum constituant, novam legem dedit. (4. 18.) Majoris momenti est constitutio usurarum (l. 26. Cod. 4. 32). Ad compensationem et deductionem (et novationem lib. 8.) novam interpretationis rationem monstravit [3]). (l. 21. Cod. 4. 34.)

Liber quintus Codicis continet nuptias et tutelas. Si matrimonia inter impares personas ineuntur, praescripta sunt instrumenta dotalia eo sensu, quo instrumenta jam in omni contractu remedia probandi fuere: (l. 23. §. 4. Cod. 5. 4.)

---

1) De legato usufructu, de heredibus legatarii, de habitatione, de praescriptione ususfructus, de nonusu servitutum praediorum l. 12 — 17. Cod. 3. 33.

2) Multa exhibet hic liber de testibus et instrumentis et edendo (tit. 20. 21.) de jurejurando extrajudiciali, quod juramento legali calumniae opponitur. (leg. 11. 12. 13. Cod. 4. 1.) de chirographis tit. 4. 2.

3) Ut actiones et ab heredibus et contra heredes incipiant 4. 11. de debitore rei alternatae, qui utrumque solvit, 4. 5.

Digitized by Google

— in dote *Justinianus* dedit uxori tum actionem rei uxoriae revocatoriam personalem, tum vindicationem et hypothecariam realem [1]); transfudit denique rei uxoriae actionem bonae fidei in actionem ex stipulatu stricti juris quae vero speciem actionis bonae fidei induebat [2]): parapherna semper erant bona uxoris [3]); in naturalibus liberis legitimatio per subsequens matrimonium locum habebat [4]).

In tutelis a patre naturalibus constituebatur tutor testamentarius [5]). Mater tutrix SCto Vellejano renunciare debet. [6])

In libro sexto Codicis hereditates tractantur. Neque in Codice neque in Institutionibus de conjungendis cum jure civili bonorum possessionibus disseruit: bonorum possessionem in Institutionibus tanquam appendicem historicum apposuit, ita, ut huic juris subsidio ex edictis praetoriis orto nulla suis temporibus esset vis pragmatica. Quo factum est, ut *Justinianus* nobis relinqueret campum a Hugone nostro primum excultum, ad cognoscendum jus hereditarium plane fertilem. In aliis quaedam mutavit:

1) in collationibus *Justinianus* omnia conferri voluit, quae in quartam portionem imputantur, et quae, si dos vel donatio propter nuptias ab una parte conferantur, alteri simpliciter donata sunt. Utrum collatio emancipatorum sublata sit, nec ne, magna inter nostros controversia est. Duae sunt sententiae, altera, quae grammatice singulis constitutionibus inhaeret, neque id quaerit, an collatio emancipatorum fieri possit, altera, quae logice interpretatur, et collationem quasi mutationem juris ab intestato nunc ex Nov. 118. depromendi explicari vult. (6. 20).

---

1) l. 29. 30. 31. Cod. 5. 12. Hugo historia jur. pag. 1122 (XI. ed.)
2) tit. 5. 13.
3) l. 11. Cod. 5. 14. Hugo hist. pag. 1123.
4) l. 8. 10. 12. Cod. 5. 27.
5) l. 4. Cod. 5. 29.
6) l. 3. Cod. 5. 35. alienatio rerum pupillarium l. 28. Cod. 5. 38. auctoritas praestanda. l. ult. Cod. 5. 59. de curatore furiosi l. 6. Cod. 5. 70.

Digitized by Google

2) Quod ad solennitatem testamenti adtinet, *Justinianus* ita constituit: Antiquum testamentum per nuncupationem transtulit in nuncupativum [1]: revocationem testamenti non ut olim, decennio tantum praeterlapso, sed praeterea adhibitis tribus testibus vel insinuatione in acta publica facta admisit. Ex ordine scripturae in testamento nil pendebat [2], subscriptionem testatoris, si testamentum non ipse scripserat, imperavit, privilegium dedit illis, qui neque in civitate, neque in castris, sed ruri et inter homines juris imperitos, literarum ignaros et rusticos degerent [3].

3) De instituendis heredibus nihil constituit [4].

4) De exheredandis heredibus accurate non cogitavit et scripsit: in jure suorum differentiam sustulit inter mares et feminas l. 3. Cod. 6. 28. l. 4. Cod. 6. 29. Nov. 115. unde controversia exorta est nostrorum celeberrima.

5) In adeunda hereditate ex lege 19. Cod. 6. 30. non docte edixit de eo casu, si heres deliberatione minime petita intra annale tempus post delatam hereditatem decesserit [5].

6) Doctrinam legatorum et fideicommissorum rerum singularum exaequavit, sed ita, ut pinguior natura vel legatorum vel fideicommissorum conservaretur [6]. De fideicommisso heredi praesenti injuncto loquitur l. 32. Cod. 6. 42.

7) Famosissimam dedit *Justinianus* constitutionem de caducis tollendis (6, 51.) qua neque jus antiquum neque jus *Julianum* satis rite et in notionibus, et in verbis distinxit, atque interpretibus quam maximam controversiam excitavit [7].

---

1) l. 26. Cod. h. t.

2) l. 24. Cod. h. t.

3) l. 31. eod.

4) Heredes in re certa scriptos legatarios fecit, ipsamque heredis certae rei definitionem confecit l. 13. Cod. 6. 24. infaustam constitutionem tulit, quae ad substitutionem mente captis factam adtinet l. 9. 10. Cod. 6. 26.

5) Legis 22. §um. 1. Cod. h. t. ita tulit, ut, quod interpretes grammatice statuant, rationi non conveniat.

6) 6. 43.

7) Legem Juliam miscellam de viduitate sustulit. Poenae nomine relicta admisit. 6. 41.

Digitized by Google

8) Magni momenti sunt constitutiones de bonis, quae extrinsecus ad filios familiarum veniunt et de hereditate filiofamilias delata l. 6. 8. Cod. 6. 61 [1]).

Liber septimus eo quidem consilio conscriptus videtur, ut omnia, quae jam ante *Justinianum* obsoleta erant, quasi una voce removerentur et collectio juris ipsa firmo et novo fundamento insisteret (tit. 1. usque ad 26.) e. g. tit. de jure antiquo Quiritium, de rebus mancipi et nec mancipi, et quae sunt reliqua.

Pragmaticorum studium tenet

1) constitutio de usucapione transformanda, fons uberrimae controversiae [2]),

2) praescriptio dominii et jurium [3]), praesertim libertatis hypothecarum et servitutum. Praescriptio olim fuit exceptio et in hypothecis contra creditores. Cum vero praescriptio in longi temporis possessionem commutaretur, actionemque daret, praescriptio tamen hypothecae contra creditores semper remansit exceptio.

3) Judicium tulit Imperator de eo, per quem possidebatur, si hic possessionem dereliquisset — quae res iterum causa magnae controversiae exstitit [4]).

4) Denique profert *Justinianus* illam celeberrimam legem [5]), qua cavet, ne id, quod interest, in casibus certis duplum excedere debeat, in illis autem, qui incerti esse videantur, id omne, quod interest, probetur et praestetur; discrimen tam in facto quam in jure vix tolerandum.

Multa alia sunt, quae in ordine litis ac procedendi a *Justiniano* ordinata sunt, quae vero, nostro jure procedendi mutato, magis ex argumento legis quam recta interpretatione ad nos proficiscuntur. Ordinatio enim processus per Germaniam communis suum habet fundamentum, et jus Canonicum praebet quasi ejus originem: paucissima ex jure Romano derivantur.

In libro octavo nonnulla nova sunt:

---

1) Videas Nov. 118. 127.
2) l. 1. Cod. 7. 31.
3) l. ult. Cod. 7. 33. l. 8. Cod. 7. 39. de praescriptione longissimi temporis.
4) l. 12. Cod. 7. 32.
5) l. un. cod. 7. 47.

Digitized by Google

1) In hypothecis statuit *Justinianus* vim hypothecae generalis [1]) et dominii impetrati [2]).

2) In patria potestate edixit, ut discrimen fiat inter adoptionem plenam et minus plenam [3]). Emancipatio proponitur *Justinianea* [4]).

3) De donationum solennitate, perfectione et de donatione mortis causa varia constituit [5]).

4) Alia sunt, neque vero magni momenti: e. g. constitutio *magnam* (l. 12. Cod. 8. 38.) de eo quod interest, porro const. *generaliter* (l. 28. Cod. 8. 41.) de obligatis correis debendi peracta cum uno litis contestatione.

Neque numero, neque auctoritate omnes hae leges ab illis discrepant, quae a *Constantino* Magno latae sunt. At vero hic ipse *Constantinus*, regiminis reformator, non imperator reipublicae, ut olim, sed autocrator populi, edictorum principalium, quae in posterum pro unico juris fonte essent, inventor — tam in sacris quam in profanis, in publico et in privato jure majores mutationes constituit, quam noster *Justinianus*.

Nec tamen in Novellis meliora fecit Noster: imprudentissime leges tulit, ut in Novella 115., nec satis accuratae sunt Nov. 1. de juribus et officiis heredum, qui ab intestato succedunt, praesertim in testamento destituto et de praestandis legatis — Nov. 18. partim ob augendam legitimam portionem heredum partim ob collationem in successione ex testamento — Nov. 4. et 99. ob beneficium excussionis et divisionis, — Nov. 74. 89. de naturalibus liberis — Nov. 107. de testamentis parentum et eorum divisione inter liberos — Nov. 108. 159. de restitutionibus fideicommissariis — Nov. 117. de peculio adventitio irregulari — Nov. 158. de transmissione et jure deliberandi. Laudandae vero sunt Nov. 118. et Nov. 127.

---

1) l. 9. cod. 8. 17.
2) l. 2. cod. 8. 34. de novationibus jam pag. 6. verba facta sunt l. 8. Cod. 8. 42.
3) l. 10. Cod. 8. 48.
4) l. 6. Cod. 8. 49.
5) l. 35. §. ult. l. 36. Cod. 8. 54. l. 4. Cod. 8. 57.

Digitized by Google

In codice ipse constitutiones priorum imperatorum non tam intelligenter et perspicue excerpsit, quam ante ipsum *Theodosius:* edicta et rescripta parum sollicite confudit et permiscuit, ita, ut nostro quoque tempore rescripta alio modo interpretari debeamus, quam edicta.

Historicam artem neglexit usquequaque, perspexit neque jus praetorium neque jus auctorum: leges antiquas, sententias judiciorum, opiniones singulorum, mores populi inter se miscuit, quae tum a Glossatoribus luce historica etiam indigentibus tum a *Cujacio* et a nostri temporis doctis antiquitatum gnaris explicata his majorem laudem pepererunt, quam *Justiniano* ipsi.

Hoc uno solatio acquiescere potest Imperator, se instrumentum fuisse providentiae, quo Romana in jure ratio orbi terrarum in aeternum conservata sit. Non est dulce nomen — nominari Justinianistam. —

Post scholam Glossatorum et Scribentium mox in Italia exstitit schola novi juris in re criminali, processus, et germanico-feudali. Canonicum et Germanicum jus, mores ecclesiae et populorum terrarum orbem tenentium cum Romano jure quasi mixta erant: altera pars moribus et literis Romanis insistebat, altera ingenio Germanico. Nec minus valent postea opera gloriosa Molinaei, Zasii, Carpzovii, quam excellentissimi libri Cujacii, Donelli et aliorum. Cum jus de ordine processus et poenarum nostro juri publico quam maxime adnexum sit, minimae solum definitiones ex jure Romano repetendae sunt, jus autem processuale et criminale ex germanica historia originem ducit, quod nunc ita explicatur, ut Savignyus doceat, in re processuali et criminali leges esse novas concedendas, nullo vero modo in lege privata. Discrimen vix tolerandum, cum jus privatum iis rebus exceptis, quae jure omnium gentium consistunt, applicandis tantum juribus litium et procedendi quasi nitatur.

Cum philosophia seculo duodevicesimo novos tramites aperiret, et divino velut numine in unum omnium disciplinarum imperium eveheretur: jus ipsum ex generalibus quibusdam notionibus, quod ad elementa attinet, quasi capiebatur et excolebatur. Atque hoc pacto in rempublicam administrantes no-

Digitized by Google

vus publicae salutis promovendae appetitus invasit, et factum est, ut ea nascerentur, quae in Codice Napoleoneo quasi elementa rerum novarum insunt.

Sed ante omnia videamus, quaenam sententia nostra quoque aetate et in Germania ipsa de hoc codice quasi ex indole populi profecto feratur. Dicunt homines, jus *Napoleoneum* esse *Germanicum*, oppositumque moribus Romanorum, conveniens populis nostris et juri publico, abhorrens ab historicis rationibus et monumentis Romanorum. Dicunt Rhenani, dicunt Badenses, hoc jus nostris consuetudinibus ortum ideoque facilius intellectu, domesticum esse, sed revera conjunctum cum principiis rationis Romanae, naturalis et gentium: quia et ea ex naturali omnium hominum jure profluant. Hoc jus, aiunt, populis, qui nunc florent, latum ita est, ut Christi confessoribus evangelium: saluberrima, quae omnibus populis affulserit, lux aeterna.

Sed ne gloriemur, singula sigillatim videamus.

I. In libro primo Codicis plura recensentur, quae non omnino ex jure Romano desumta sunt, et in quibus jam singula territoria juris gallici et germanici suas habuerunt constitutiones: nuptiarum, tutelarum, patriae potestatis. Sed

a) in jure Gallico, quod nunc est, plurimae quasi praejudiciales res noviter intellectae et congestae sunt e. g. status civilis hominum.

b) In nuptiis quidem jus ecclesiae non probatur, neque vero reprobatur: sic jus franco-gallicum omnem controversiam sustulit, quae inter Germanos pace Westphalica orta, jure politico recentiori erat profliganda, Principum vero Germanicorum semper insedit in conscientia politica.

c) Plura denique in rebus familiaribus a legislatoribus Gallicis opere quasi philosophico constructa, neque populo ipsi neque doctis sufficiunt. Patria potestas cum jure publico non cohaeret, annis tantum finitur, et dum durat, nulla est: adoptio quasi monstrum juris. In tutelis consilium domesticum vel judicium domesticum non ita adhibetur, ut pupillis et curandis sit solatio, eorumque negotia promoveat.

Hae institutiones juris Gallici Germanis plane novae sunt, quia jura Ro-

Digitized by Google

manorum longo tempore jam recepta floruerunt, et populo germanico et doctis satis cognita fuerunt.

II. Nonnulla autem sunt in jure Gallico, quae re vera ex consuetudinibus nostris collecta sunt, et rationibus nostris plane conveniunt. Ejusmodi est doctrina de rebus soli et de juribus in rebus soli, excepta re hypothecaria. Hoc argumentum bene tractat liber codicis secundus.

In jure Romano, etsi sanas rationes dominii et servitutum tradit, plura tamen pendent ex antiquo discrimine rerum mancipi et nec mancipi: et ex acquisitione discrimine hocce orta, quae ad acquirendas servitutes extendebatur, tunc ex propriis rationibus viarum, aedificiorum, luminum, insularum [1]), arearum, porticuum, quae ubique a nostris rebus plane aliena sunt.

Jus Franco-Gallicum vero ex moribus urbium Francicarum et Germanicarum, praesertim Parisinorum, ex finibus et cultura agrorum germanici moris, ex vicinitate et usu locorum cuncta derivat et describit, et solum quod adtinet ad aquam, fontem, aliaque ad hanc rem spectantia rationes et principia juris Romani recipit.

Cum denique in eodem libro jura abrogata sint, quae olim ordinibus, nobilibus, clericis et antiquo juri publico amica, novisque rebus inimica erant, ea dico, quae ad privilegia regiae potestatis in rebus privatis, patrimonia juris publici, jura realia, bannalia, decimandi, ecclesiae spectant, amorem et benevolentiam plurimorum, quos appellamus populum, praecipue sibi conciliavit legislator. Hinc vero orta est indigna antiquae nobilitatis de his legibus aestimatio, ex quo sequitur, codicem Napoleoneum non esse germanicae historiae ipsius purum, uti nonnulli dicunt, documentum, sed novarum rerum politicarum filium quasi unigenitum. —

III. In negotiis inter vivos vel mortis causa, quae tractantur in libro

---

1) De luminibus et insulis multa dubia remanserunt. Videas doctrinam de servitt. et de insulis. *Pitisci* lexic. antiqu. Rom. voce insula: Tacitus Annal. XV. 43. Dureau de la Malle (Memoire des Inscriptions vol. XII. 2. pag. 237. sequ. Journal des Savants 1836. Août p. 487.

Digitized by Google

codicis tertio et ultimo, plurima jam ante violentam regni conversionem sunt inventa juris hereditarii — plurima noviter nunc excogitata in jure contractuum.

Cum successione mortis causa conjuncta simul est doctrina donationum et quidem earum, quae non mortis causa fiunt. De hac re codex nihil quidem novavit, sed historiam juris Gallici secutus ea in artem redegit, quae jam a Ludovico decimo quinto in constitutionibus „*des donations* (anno 1731.) et *des testaments* (anno 1735.)" data erant, rejectis iis, quae in lege „des substitutions" (anno 1743.) lata erant. Jam in principiis et elementis valde erravit codex, si doctrinam de hereditate et legatis et donationibus in jure Romano excultis summam haberi velis, licet vituperare nolimus, testamentum in jure Gallico esse codicillum ab intestato, et heredem ab intestato esse fiduciarium et executorem generalem testamenti. Sed praecipue, quod ad legitimam adtinet, maximae in codice sunt angustiae. Nusquam in hereditate reperitur consequentia, elegantia, aequitas, nec Franco-Gallis bellorum civilium furore agitatis mors apparuit beatus vitae feliciter peractae finis.

Generalis ordo et principium consummationis in contractu melior quidem est, quam ille usus incertus juris Germanici, quo omnes conventiones et pacta, quae obligant, contractuum vim et figuram habent: sed regula celeberrima juris Gallici de discrimine contractuum bilateralium et unilateralium non est ita lata, ut omnes lites extinguerentur, qua vero de re specialis quaestio desideratur.

IV. Sed res literaria in hoc codice quam maxime neglecta est, quod multis exemplis satis demonstrari potest.

A. Possessio *alia* est in praescriptione, *alia* in ordine judicii liteque: altera ex jure Romano desumta et possessio nil nisi res facti est: altera ex jure Germanico possessio profluit et quasi res juris et dominium est — dominium praesumtivum, provisorium, uti recentiores dicunt. In servitutibus possessio a JCtis Gallicis merito etiam in lite ad jus Romanum refertur, quod non solum auctores, sed illud quoque praestantissimum tribunal, quod curia cassationis appellatur, testantur.

B. In jure praescriptionis neque acquisitio dominii et constitutio jurium,

Digitized by Google

neque extinctio actionum et jurium rite sunt distinctae et definitae: multa ex moribus juris Germanici depromta neque finita: multa rationi Romanae proxima et consentanea e. g. in acquirenda libertate hypothecarum contra creditores.

C. In jure pignorum et hypothecarum retentio et antichrestica (ἀντιχρηστική) rei detentio est germanici juris privilegium, neque uti apud Romanos in jus exigendi simplex et in privilegium hypothecae dividitur, sed omnibus obligationibus praefertur. In jure hypothecarum nimium libellis inscriptionum tributum est, etsi ii vero ad veritatem et stabilitatem juris non accedunt.

D. Generaliter incidit codex Napoleonis in maximos errores eo, quod scientiam juris in Pandectis traditam recipit (raison écrite) sed ex libris hausit et ad libros remisit jus Romanum non satis intelligentes e. g. ad libros Pothieri. Exempla sunt conditiones, obligationes alternatae, diligentia et culpa, periculum speciei obligationis, legatum rei alienae etc. [1])

Notionum et definitionum, quas codex ipse protulit, natura neque logica, neque juri consentanea nec elegans habetur.

V. Sed caveat quisque, ne sententiam ferat ex singulis tantum articulis codicis conceptam. Nam Franco-Galli ipsi omnia derivant ex jurisprudentia sua et ex sententiis similiter judicatis. Est apud Gallos etiam discrimen inter jus strictum, quod ex literis articulorum proficiscitur, et inter jus aequum, quod jurisprudentiae ipsius auctoritate defenditur. Non sufficit cognoscere leges, sed bene versati simus in usu et interpretatione juris Gallici.

In terris igitur Germanicis, in quibus jus Napoleoneum receptum est, ex Pandectis Gallicis, ut ita dicam, vera et recta ratio juris Gallici desumitur, omnium controversiarum et opinionum et sententiarum juris Gallici sufficiens nostris JCtis sit copia: jusque ipsum tantum ex prudentia Gallorum hauriendum et augendum est. Quaevis alia ratio tollit certam et finitam juris applicationem.

VI. In jure Gallico promovendo duo fere desiderantur:

1) cum codex compendium sit legale, simile juri Austriaco et Borussico,

1) Rosshirt Zeitschrift tom. IV.

Digitized by Google

et ad exemplum quoddam scientiae excultae referendus sit, semper ad fontes Romanorum jam ut Galli artem et methodum juris cognoscant, res ipsa trahenda est, et praecipue Digesta historica ratione apud Gallos explicanda sunt.

Quo modo jam factum est, ut jurisprudentia Gallica meliorem se exhibeat nostris temporibus, quam tempore, quo codex ferebatur. Excessit ex jure Gallico indoles militaris, non amplius proferunt philosophiam socialem, a nostris Doctoribus juris publici et criminalis tantopere defensam; Dei cultus propriam recuperavit integramque vim et auctoritatem, denique omnes JCti Gallici praesertim praesides et procuratores judiciorum acriter adnituntur, ut, quod in jure applicando maximi momenti est, principia ubique dominentur summa.

2) Galli ipsi carent literatorum copia, quae non minus desideratur in judiciis Germanicis, ubi jus civile Gallicum floret.

Si autem in judicum collegio vel Senatu unus tantum literatus sententiam diceret, omnia respicerentur, quae ex jure Romano, ex consuetudinibus Franco-Gallicis et Germanicis praecipue dijudicanda et quasi fontes sunt juris subsidiarii legibus et moribus quam proximi.

In hoc Napoleonis opere, in quo instituendo et perficiendo non tam laboris quam honoris laus quaesita est, parum subtilitatis et accuratae rerum investigationis inest. Napoleonem vero in suis singulis sententiis de jure latis hominem intelligentissimnm et sagacissimum, quamquam nullo modo JCtum fuisse censemus.

Digitized by Google

De Jure accrescendi ex principiis juris Romani et nostri tam Germanici quam Gallici.

Celeberrimum argumentum, quo nostra disputatio in singulari juris themate illustratur, et id, quod jam ex jurisprudentia Romanorum ad nos pervenit, nostroque juri privato quodammodo inservit, perspicitur, nec non, quod ad minimas res adtinet, cognoscitur, inveniri potest in jure accrescendi.

Neque in operibus *Justiniani* neque apud nos historica ratione id, quod in hoc jure valet, ex antiquo vel medio jure Romanorum derivari potest: nec enim est id, quod fuerat, semper fons novi juris sed decet JCtum saepissime aliunde juris mutati et vigentis rationes quaerere. Itaque nova accrescendi jura non ex directo juris usu et ex sano intellectu earum notionum, quae locum habuerunt, capiuntur, sed ex incerta legislatoris opinione et ex non accurata singulorum scientia.

I. Jus antiquum.

Explicatio eorum, quae apud Romanus in hoc jure accrescendi obtinebant, tam difficilis est, ut *Justinianus* ipse mutationes juris ante ipsum factas neque accuratius perspiceret, neque de hoc argumento rite disputaret.

In antiquo jure duplex est jus accrescendi:

Digitized by Google

A. Ex illa regula: „Neminem testatum et intestatum decedere", qua omnis heres semper in solidam hereditatem vocatus est, etsi in partem bonorum vel in re certa institutus fuit, scilicet si alii heredes defecerant.

B. Ex voluntate testatoris, qua ii heredes, qui nominatim in partem quandam solidam instituti sunt, in hac parte aliis heredibus antecesserunt.

Quod posterius argumentum et in legatis obtinebat; sed ibidem occurrit distinctio, qualem in heredibus habere non solemus: potest enim tota res tanquam solida pluribus relinqui, nempe in legatis per vindicationem datis, cum in legatis per damnationem vel alio modo relictis vel res ipsa vel pars rei in hereditate remaneret.

Quamquam autem jus accrescendi in legatariis semper ex voluntate testatoris descendit, et in jure antiquo solummodo ad legata per vindicationem referendum est, duplex tamen modus ita statuendus est, ut

a) si quibusdam tota res legata erat, concursu solo (neque vero institutionis et sermonis ratione) partes fierent,

b) si quidam communi voce ad rem vocabantur, hi jam institutionis vel sermonis ratione rem deficientis legatarii caperent.

Ii, qui priore ordine (ad *a*) instituti sunt, non conjuncti erant, ideoque jus accrescendi antiquum non habebant, sed quisque ad ipsam solidam rem vocatus erat. Quo modo factum est, ut onera deficientis legatarii alteri non incumberent, qui totam rem caperet, quia institutione in partem vacante jus et onus vacarent.

Sed cum ex principiis juris *Juliani*, diversa tradita sint, evenit, ut hi legatarii prioris ordinis *re* conjuncti appellarentur, quod antiquo juri non convenit.

Neque denique heredes, neque legatarii, si jure accrescendi gaudebant, quasi substituti habentur, nec ex eo illud pendet, ut onera ferant, nam et substituti tunc solum antiquo tempore legata praestiterunt, si ea ipsis nominatim injuncta erant et praestationem legatorum ab ipsis singulis fieri jussum erat.

Digitized by Google

II. Jus Julianum.

Quodsi autem diximus, deficientis portionem in legatis per damnationem hereditati retineri, in vindicationum legatis vero collegatariis accrescere, admonendum est, hoc ante legem *Juliam* et *Papiam* civili jure ita fuisse, post legem autem *Papiam* deficientis portionem, contraversia JCtorum peracta, in *omni* legato caducam fieri, et ad eos pertinere, qui in eo testamento instituti liberos habeant. Caducum vocatur, quod pro non scripto non habetur i. e. quod testamenti conditi tempore juste quidem et rite relictum est, postea vero non constitit.

Et quanquam prima causa in caducis vindicandis heredum liberos habentium, deinde si heredes liberos non habent, legatariorum liberos habentium fuit, tamen lege ipsa *Papia* significatur, ut collegatarius *conjunctus*, si liberos habeat, *potior sit* heredibus, etiamsi hi liberos habituri sint.

Simul quoque plerisque JCtis sed non omnibus, ut jam relatum est, placuit, quantum ad hoc jus, quod lege *Papia* conjunctis constituitur, nihil interesse, utrum per vindicationem an per damnationem legatum sit.

Parentes et liberi usque ad tertium gradum *jus antiquum* retinuerunt, ergo jure accrescendi antiquo usi sunt, si patres non erant. Quomodo jus accrescendi et vindicatio caducorum inter se discrepent, non solum in his, sed in aliis quoque rebus mox intelligemus.

Caducorum vindicatio et in fideicommissis obtinuit, indeque venit, ut is, qui caduca vindicaret, onera solvere deberet, quae deficienti injuncta essent.

Cum vero heredes vel legatarii *patres* vindicationem haberent, et *conjuncti* aliis praeferendi essent; conjuncti fuerunt ii patres,

a) qui in solidam partem rei cum aliis *sermone* vocati sunt i. e. re et verbis conjuncti,

b) sed et ii patres, qui aequis partibus in rem totam instituti sunt i. e. verbis conjuncti,

c) denique ii, qui concursu solo partes fecerunt i. e. re conjuncti.

Tali modo haec significatio verborum exorta est, quae in singulis locis

Digestorum invenitur. Qua solum ratione dici potest, heredes, qui aequis partibus ad quotam vel rem hereditatis vocati sint, aliis praeferendos haberi, non minus illos jus praelationis obtinere i. e. potiores esse in jure accrescendi qui concursu solo partes facerent: — quae vero *conjunctiones*, etsi jure *Justinianeo* ex nostra sententia sublatae videantur, nostris tamen JCtis argumentum perversae interpretationis praebuerunt.

III. Jus Justinianeum.

Ante omnia quaeritur, quae res in jure accrescendi tempore *Justiniani* usum fori obtinuerint, quaeque postea *Justinianus* constituerit? l. un. Cod. 6. 51.

Num jus *Julianum* et *Papianum* jam ante *Justinianum* Pandectis nondum confectis in desuetudinem abiit? De quo nihil constitutum est, nisi id respicere velis, quod *Justinianus* ipse in pr. Cod. h. t. occasione data obtulerit „haec lex (*Julia* et *Papia*) per desuetudinem abolita est". Alii contra opinantur, notiones juris *Juliani* et discrimen conjunctorum in re et verbis conjunctos, et verbis conjunctos et re conjunctos jam ex librorum antiquorum auctoritate posterioribus JCtis retentas, neque a *Justiniano* ipso in lege unica desertas esse.

Nobis autem videtur, *Justinianum* in lege unica cit. non solum id sustulisse, quod ad heredes et legatarios *patres* pertinet, eodem fere modo, quo discrimen inter res mancipi et res nec mancipi oblivioni tradidit, et simul ea omnia antiquavit, quae libro septimo Codicis tanquam per tacitam desuetudinem jam abolita in Codicem ipsum quasi caput mortuum retulit, *sed potius nova statuisse de conjunctione ipsa.*

Sed haec ipsa est quaestio nostri saeculi gravissima.

Glossatores, qui jus *Julianum* ignoraverunt, juris antiqui naturae inhaeserunt et sententiam protulerunt, quae et a plerisque JCtis nostri temporis recepta est et divulgatur. Cum autem jus *Julianum* hominibus doctis nostri temporis satis cognitum nunc videatur, res interpretando eo perducta est, ut opinentur *Justinianum* illas notiones *Julianas* semper in mente habuisse, quae

Digitized by Google

ipse ex libris *Ulpiani* et aliorum receperit. Ita interpretantur legem unicam Rudorff, Huschke, Mayer.

Justinianus autem ipse tam late de hac re disputat, et quamquam ad origines juris antiqui et *Juliani* et ad conjunctionem jurium usu quodam comprobatam respicit tam minus accurata verba facit, ut neque ex verbis neque ex mente Imperatoris vera constitutionis unicae ratio duci possit.

Quae cum ita sint, constitutio ipsa firmissimum argumentum illius sententiae praebet, quae in disputatione ipsa a nobis de plurimis *Justiniani* constitutionibus lata est.

Denique vero, ut, quid nobis de hac re videatur, appareat, discernamus hereditates et legata.

A. In hereditatibus tres occurrunt quaestiones:

I. an heredes verbis solum conjuncti ex mente legis unicae conjuncti habeantur?

Quam quaestionem Baumeister jam ex natura rei affirmat, idem enim esse dicens, utrum *A. B. C.* in quartam partem bonorum defuncti vocentur, an *A. B. C.* ita instituantur, ut quisque eorum unciam habeat. Quod vero jam ideo falsum esse opinor, quia a solennitate instituendorum heredum apud Romanos usitata abhorret. Uncia enim est pars singulis data, quarta autem bonorum pluribus designata est solida et integra quota hereditatis ipsius.

Quod si vero nonnulli Docti interpretatione historica utuntur, non ignoramus, aliam fuisse rem in jure *Juliano Papiano*, aliam in jure antiquo. *A. B. C.*, si quisque eorum in unciam hereditatis vocabatur, iique omnes sermone collecti erant, ita ex jure *Juliano* instituti fuerunt, ut ab iis heredes *patres* vel fiscus excluderentur. Et eam jam mentem ex lege caducaria sublata a *Justiniano* demum receptam hi historici JCti nostri temporis statuunt: Rudorff nempe, Huschke et Mayer ad verba §i 10. legis unicae Cod. tit. provocantes.

Haec autem in hac §o nullo modo reperiuntur: potius ex §o 11. id intelligitur, *Justinianum* semper solidam partem in mente habuisse, in quam omnes

Digitized by Google

conjungebantur, quod accuratissime probatur fragmento 66 D. 28. 5. et §o 8. Instit. 2. 20.

Hujus rei optimum testimonium praebent, quamquam ipsi ad jus Romanum non respiciunt, Commentatores juris Gallici, quia naturae juris et voluntati testatoris insistunt affirmantes, heredem jam ex disponentis ore et verbis suam certam et distinctam habere partem ita, ut cum conjunctio quaedam re et verbis non exstet, si hac indistincta loquendi ratione conjunctio legatariorum effici deberet, hoc lege quadam expressis verbis lata probandum esset. Quae autem probatio semper jure Romano deerit, cum contra *Justinianus* legem *Juliam* omnino tollere voluerit.

II. An ab heredibus re solum i. e. hereditate conjunctis, qui omnes heredis institutione invicem jam conjunguntur, alii heredes praecipue re et verbis conjuncti excluduntur?

Quae ipsa quaestio antinomiam quandam continet, neque recte proposita videtur, quam vero Göschenius nihilominus affirmat, quia ex analogia legatorum id sequatur, et jus accrescendi hoc loco sit jus non decrescendi et cum in lege *Julia* et *Papia* quoque talis conjunctio potior sit, quam jus vindicandi fisco concessum.

Contra prius vero argumentum jam Thibautius optime id exposuit, omnes heredes ad totam hereditatem vocari ex natura testamenti, quia nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedat: itaque argumentum ex legatis desumtum ad hanc rem non spectare: quod vero ad legem *Juliam* et *Papiam* adtinet, omnia ex eo a Göschenio derivantur, quod in §o 8. legis unicae constitutum sit, onera semper ab eo esse solvenda, qui lucrum capit. Hoc autem ad ea onera non trahendum est, quae *in specie* illi injuncta sunt, qui hereditatem respuit vel heres non fit et qui cum alio herede in parte hereditatis tanquam solida re, et verbis i. e. in specie non est conjunctus. Nam jus accrescendi et nostro tempore nullo modo est jus substitutionis.

III. Quaeritur, an et quomodo distinguendum sit, si singuli heredes in certas partes alii vero sine parte instituuntur.

Digitized by Google

Mühlenbruchius ita statuit, ut heredes re conjunti, si, cum heredibus re et verbis conjunctis concurrant, ipsi tanquam re et verbis conjuncti respiciendi sint, quod jam ex ratione sermonis et sanae interpretationis ita intelligendum sit. Secundum hanc sententiam ii, qui sine parte instituti sunt, re et verbis quoque conjuncti essent: sed talis conjectura neque ex jure antiquo neque ex jure legis *Juliae* et *Papiae Poppaeae* defendi potest, quod jure antiquo omnes hi heredes sermone nullo modo suut conjuncti, et quod in jurisprudentia legis *Juliae* et *P. P.* tam re conjuncti, quam sine parte vocati, cum hi verbis conjuncti esse possent, potiores fuerunt, quam patres et fiscus. Igitur in iis, qui sine parte instituti sunt, ex verborum conceptione ipsa res pependit, ut Mayerus comprobat; cum autem in legis 17. §o. 1. D. 28. 5. ii, qui sine parte scripti sunt, verbis conjuncti non essent, merito JCtus sententiam suam protulit quam probo.

Faber et Thibautius sine parte vocatos verbis conjunctos esse statuunt, ideoque ex jure antiquo non esse conjunctos praesumunt, quod vix crediderim, nec id cum sana interpretatione Mayeri consentit.

Si verborum conjunctionem eximere velis, sine parte vocati neque jure antiquo neque novo conjuncti sunt: ideo si quis eorum deficiat, omnes ubique heredes jure accrescendi uti possunt. —

B. Quod ad legata attinet, haec observanda sunt:

Quum omnia, quae in Digestis et in Institutionibus excerpta et relata sunt, nihil plane valeant, si ad mentem legis ultimae Cod. de caducis tollendis respicias, et cum inde negari non possit, auctores classicos a *Justiniano* merito esse neglectos, quia de jure solum legis *Juliae* et *Papiae Poppeae* verba fecerunt, *Justiniani* ratio haec fuisse videtur, ut in jure accrescendi legatorum omnia fere ex lege unica Cod. de caduc. toll. sumenda et explicanda sint.

Quae cum ita se habeant, prius interpretemur hanc constitutianem, tum quaedam loca in Pandectis obvia referamus.

Digitized by Google

De conjunctis.

Conjuncti legis unicae sunt solum ii, qui re et verbis vel promiscue vel mixtim conjuncti ex lege *Julia* et *P. P.* habentur, nullumque obtinet discrimen inter vindicationem et damnationem, quia Imperator in lege unica, quae tribus fere annis post legem secundam *„communia de legatis"* lata est, jam mentis suae de legatis exaequatis tenax fuit. Idem valet in fideicommissis.

Re conjuncti sunt disjuncti vel separati: legatarii enim tales in solidam rem sine conjunctione vocati sunt, nec sufficit, quod Heisler talem conjunctionem quasi jus non decrescendi definit. Conjunctio haec in Digestis tunc ideo prolata est quia ad mentem legis *Juliae* et *P. P.* respexerunt compilatores quam *Justinianus* plane sustulit. De oneribus pauca adhuc sunt ex sententia *Justiniani* proferenda.

Verbis conjuncti utrum inter conjunctos referendi sint, nec ne, haec est gravissima quaestio.

Licet enim plures Nostrorum ad jus legis *Juliae* et *P. P.* deflectant novumque quasi augmentum probandi Mayer inde sumat, quia jus accrescendi a *Justiniano* in lege unica donationibus mortis causa sit applicatum, quibus solum *sermonis conjunctio* esse possit: contra hos et Mayerum tamen statuendum est, in donatione, quae ex donante et partibus donatariis praesentibus intercedat, pactumqus sit, ipsa inter mixtim conjunctos et verbis conjunctos nullo modo distingui posse.

Idem enim est, utrum dicatur: *Aulo* et *Julio* et *Cajo* aedes meas mortis causa dono, an ita: *Aulo* et *Julio* et *Cajo* aedes meas aequis partibus dono; et nemo est, cui in casu posteriori competat jus praelationis.

Nova vero *Justinianus* protulit in oneribus solvendis. Conjunctim institutis injungitur legatorum obligatio praestandorum, si ipsi jure accrescendi uti *velint:* disjunctim instituti, cum legatum solidum ipsis relictum sit, onera deficientis non praestant, cum unusquisque suum onus, non alienum agnoscat.

Quae omnia ex lege *Julia* mutuata non sunt, *Justiniano* ipso ea ratione

Digitized by Google

disponente, qua legislatores Gallici vel Borussici ex natura juris ipsam rem explicant. Re et verbis conjuncti enim jam a testatore in communionem commodorum et onerum recepti sunt, sed obligatio ita mitigata est, ut ex voluntate heredis electioneque ipsa jus accrescendi pendeat. Disjunctorum vero nulla est communio, indeque patet, ipsorum neque esse jus accrescendi ipsum, neque legatorum, quae aliis injuncta sunt, solvendorum onus. —

Jam superest, ut quaedam loca in Digestis obvia respiciantur.

I. In lege 142 D. 50. 16. (ex Commentario *Pauli* ad legem *Juliam* et *P. P.*) proferuntur quidem notiones hujus legis *de conjunctis*, sed dictum *Pauli* non plane est exhaustum, cum fragmentum verba solum faciat de heredibus re et verbis conjunctis i. e. de heredibus conjunctis jure antiquo et novo. Nullo modo re conjuncti, uti Mühlenbruchius opinatur, recensentur. In lege 15. D. 28. 5. facti tantum quaestio deciditur, utrum duo heredes conjuncti sint nec ne.

II. In legibus 3. et 17. §. 1. D. 28. 5. ii heredes nominantur, qui sine parte instituti sunt. Prius fragmentum ex lege *Julia* et *P. P.* ita scriptum est, ut sine parte instituti modo verbis conjungantur, modo non conjungantur: alterum fragmentum vero posteriorem casum tractat. Jure antiquo et novo sine parte instituti non sunt conjuncti.

III. Lex 66. D. 28. 5. solum de verbis conjunctis loquitur: forsitan *Pomponius* in libro ad Q. Mucium de antiquo jure accrescendi verba fecit, ob quam rem haec lex recepta videtur, cum ad legem unicam de cad. toll. applicari possit.

IV. In lege 89. D. 32. compilatores Digestorum ad legem *Juliam* respicientes antiqua proposuerunt; uti a nostris JCtis prudentissime res explicata est.

Quae cum ita sint, Digestorum fragmenta fere ejusmodi sunt, quae solum ad legem *Juliam* et *P. P.* animum et mentem vertant, neque praeter l. 66. D. 28. 5. id explicent, quaenam fuerit tempore *Justiniani* conjunctim et disjunctim facta institutio.

Quo perpenso *Justinianus* ipse non dubitare potuit, quin in §. 8. J. 2. 20.

Digitized by Google

generales definitiones conjunctorum et disjunctorum ex antiquo jure et ex lege ult. cod. de cad. toll. proferret, quae autem nullo modo ad Digesta referendae ideoque nullo modo conjunctis fragmentis Digestorum explicandae sunt.

Quibus ipsis tandem intellectis legem unicam cod. de cad. toll. intelligere et interpretari possumus. —

Nunc quaerendum est, quomodo legislatores temporis nostri jus accrescendi tractaverint.

I. Jus Franco-Gallicum ad voluntatem testatoris explicandam respicit, ex qua sola jus accrescendi ipsum exoritur. Si enim heres testamentarius non conjunctus portionem suam non capit, in ejus locum heres ab intestato succedit. Quod ad reliqua adtinet, haec statuuntur:

a) jus accrescendi tam in hereditate i. e. in „legs universels et à titre universel" quam in legatis i. e. „legs particuliers" locum tenet. In hereditate vero, uti jam relatum est, tunc solum si heredes re et verbis conjuncti sunt

b) in legatis autem non solum conjunctis competit, sed et disjunctis i. e. illis, qui in solidam rem vocati sunt. Sed in disjunctorum jure accrescendi haec requiruntur:

ut res legatae sint α) res corporales

β) quae dividi nullo modo possunt. Et quidem rerum juris individuarum nulla facta est mentio, sed solummodo de rebus facti individuis (qui n'est pas susceptible d'etre divisée *sans deterioration*) tractatur. Res non absolute sed relative indivisa — Romanis incognita a Gallis ibi recepta est.

Si donatarii re et verbis vel verbis tantum conjuncti sunt, jure accrescendi utuntur. [1]) Posterius vero neque a Thibautio neque a codice Badensi relatum, eo probatur, quod inter re et verbis conjunctos et verbis conjunctos, uti jam contra Mayerum (pag. 24.) explicatum est, nulla distinctio cogitari potest.

γ) Praeterea requiritur ut res solida in uno eodemque testamento pluribus relictum sit, nam si in diversis testamentis vel codicillis solida res pluribus con-

1) Thibaut sytema. jur. gall. §. 255. Badisches Landrecht art. 938a.

ceditur, facile fit et ex jure praesumitur, ut novum testamentum adimat, quod in priori testamento relictum fuerit.

c) Verbis conjuncti in legatis non sunt conjuncti.

d) Quod ad onera adtinet, re et verbis conjuncti tenentur ad onera praestanda, quia hi in communione rerum versantur, et ex communione sequitur, incommoda ferenda esse ex commodis.

Re conjunctos vel disjunctos legatarios oneribus praestandis solutos esse apparet, cum singulis neque vero omnibus legata injuncta sint.[1]) Zachariae opinatur, quaestionem de oneribus semper esse rem facti et voluntatis.

e) Si is, cujus est jus accrescendi, id exercere non vult, nullo modo cogatur, quia juris Romani principium, neminem pro parte testatum pro parte intestatum decedere, in jure Franco-Gallico non est receptum.

II. Nunc pauca adjiciamus de jure Germanico.

In codice Maximilianeo Bavarico

1) omnes heredes testamentarii utuntur jure accrescendi et ab heredibus re et verbis conjunctis alii heredes adeo excluduntur.[2])

2) Collegatariis est jus accrescendi sine omni discrimine ordinis, quo instituti sunt: nec interest, utrum re et verbis, an verbis vel re sint conjuncti — liber Baro a Kreitmaier rationem hujus discriminis plane ignoravit.

3) Heredes nunquam unam vel alteram partem recusare possunt. In legatis de hac re nil dictum est: si legatarius jure accrescendi uti non vult, partem accrescendi heredi relinquendam esse, constat.[3])

4) Onera semper transeunt in eum, cujus est commodum.

In codice Borussico haec statuta sunt:

1) heredibus re et verbis conjunctis est jus accrescendi ita, ut omnes reliqui excludantur: si conjuncti non adsunt, omnes utuntur jure communi,

2) legatariis est jus accrescendi, si sunt re et verbis conjuncti (zugleich

---

1) Boileux ad art. 1044.
2) part. III. i. 1. §. 16.
3) part. III. 6. §. 13.

Digitized by Google

und ungetheilt beschieden) — iis, qui in solida re vocati sunt, remanet res ipsa, si unus vel alter deficit — sine oneribus: nullam mentionem facit codex verbis conjunctorum,

3) onera in eum transeunt, cujus est jus accrescendi, sed solum ea praestanda sunt, quae ex portione juris accrescendi solvi possunt,

4) si testator jus accrescendi prohibere vult, tunc heredes ab intestato rem habebunt; nam praeceptum juris Romani „neminem pro parte testatum pro parte intestatum decedere" in jure Borussico non valet. [1])

Codex Austriacus ita rem decernit:

1) heredibus re et verbis conjunctis jus est accrescendi, et ipsis exaequantur heredes, qui aequis partibus instituti sunt. Aequae autem partes sunt certae eaedemque partes ejusdem quantitatis, quae ita in codice Regni Galliciae relatae, sed his expressis verbis in codice Austriaco non receptae sunt.

Si vero singulis separata et distincta pars data est, et heredes non conjuncti sunt, portionem vacantem semper heredes ab intestato accipiunt.

2) Jus accrescendi est jus voluntarium, quod si heres eo uti non vult, heredi ab intestato arridet, ut Winiwarter recte docet. Aliter Nippel rem decernit ex jure Romano argumentum depromens, sed perverse hoc statuit, quia apud Romanos heres, qui jure accrescendi gaudet, ab origine rem necessitate juris acquirit et retinet.

3) Onera semper illi incumbunt, qui jus habet accrescendi vel qui ab intestato rem capit. [2])

4) In legatariis eadem obtinent. Re et verbis conjunctis et iis, qui verbis conjuncti in aequas partes vocati sunt, jus accrescendi datum est, in aliis conditionibus legatum heredi remanet.

Ex his satis apparet jus Romanum legislatoribus nostrorum temporum non satis fuisse cognitum, quum neque Digesta neque Codicem luculenter interpretati sint.

1) part. I. tit. 12. §. 281—287. §. 366—372.
2) §§. 560—563. §. 689.

Digitized by Google

Jam restat, ut ea, quae anno praeterlapso Academiae nostrae acciderunt, brevibus verbis complectar.

Atque hoc quoque anno summam LEOPOLDI, Magni Ducis liberalitatem ac munificentiam experti sumus multis, quae in nostram Academiam contulit, beneficiis: non solum ad augendam librorum nostrorum copiam ea, quae ex nostro aerario supererant, impendi decrevit, sed et professoribus non defuit Serenissimi liberalitas auctis eorum annuis stipendiis. Ad *Bibliothecae* copiam promovendam et ea potissimum hic commemorare juvat, quae virorum doctorum haud paucorum beneficio grataeque societatis medicorum Heidelbergensium liberalitate debemus. Atque maxime celebranda est eximia liberalitas CAROLI ALBERTI, serenissimi atque augustissimi Sardiniae regis: qui qua est clementia summoque literarum promovendarum studio monumenta historiae patriae Ipsius jussu edita ultro ad nos transmitti jussit. Alios libros ad rerum publicarum curam, ad viarum ferro stratarum ductum, ad fluminum cursus dirigendos pertinentes, a Belgis eruditissimis, alios ad historiam tam Angliae quam Scotiae spectantes ab Anglis atque Scotis doctissimis dono accepimus, quibus omnibus meritam debitamque hoc solemni loco persolvimus gratiam.

E Professorum numero morte amisimus JOANNEM FRIDERICUM ABEGG, virum reverendum et Urbi et Academiae christiana fide conjunctissimum et GEORGIUM FRIDERICUM WALCH Jure Consultum.

Professorum extra ordinem numerus auctus est viris consultissimis et doctissimis ZACHARIAE, DEURER, KAYSER et PROBST, quorum priores jus civile, posteriores vero disciplinas ordinis philosophici, alter literas antiquas, alter Chemiam hucusque privatim docuerunt.

Veniam docendi consecuti sunt viri clarissimi Dr. BENNO PUCHELT ab ordine Medicorum et Dr. A WENING-INGENHEIM ab ordine JCtorum.

Novis honoribus condecoratus est vir experientissimus et collega conjunctissimus, CHELIUS, qui dignitate consiliarii intimi secundae classis ornatus est.

Digitized by Google

Dr. LINDEMANN, qui privatim apud nos philosophiam docuit, Solothurnum se contulit professoris munus recepturus et Dr. FORTLAGE res philosophicas docendi venia se abdicavit.

Civium academicorum numerus quidem nuper paullulum deminutus est, eorum vero diligentia et industria jam ex eo perspici potest, quod in quolibet literarum ordine commentationes quaestiones propositas tractantes oblatae sunt.

Theologorum Ordo hanc proposuerat quaestionem,

„ut enarretur vita Zachariae Ursini, Theologi Heidelbergensis, meritaque ejus de Theologia et Ecclesia exponantur et dijudicentur.“

Una tantum Ordini oblata est commentatio, hoc symbolo insignita: *„Ne pigeat fecisse, ut potius pudeat, si non feceris.“* PLAUTUS.

Auctor, praesertim in eo capite, quo Ursini *merita* perlustrantur, non omnia quidem monumenta plene in usum adhibuit, neque etiam reliquâ commentatione omnino materiam, quam fontes ei suppeditabant, satis bene digestam atque ad artis leges formatam proposuit. Parciorem dijudicandi quam referendi relata se praestitit. Praeterea sermone Latino usus est minus correcto elimatoque. Quoniam autem quae ad *vitam* Ursini pertinent, magnâ industriâ ex libris veteribus eruta, concinnavit, adeoque in hac priori saltem quaestionis parte egit, quod arbitro non nimis moroso possit satisfacere, Ordo juveni digno, qui ad perseverandum in his studiis excitetur, praemium lubenter concedit.

Schedula reclusa, legitur

JOANNES FRIDERICUS REITZ

Promontorio bonae spei oriundus.

Jurisconsultorum Ordo postulaverat, ut

„Explicetur locus de actionibus stricti juris et bonae fidei.“

Una Commentatio Ordini oblata est, hac inscriptione ornata: *„Qui juris nodos legumque aenigmata solvit.“*

Cujus auctor multa sane acuminis, eruditionis, industriae dedit specimina itemque varia ad rem illustrandam quae pertinent bene congessit, ita ut ad prae-

Digitized by Google

mium proxime accessisse videatur. Neque tamen praemio dignam judicare potuit hanc commentationem Ordo Jurisconsultorum. Auctor enim res justo ordine non disposuit, historiae viam eo, quo debebat, modo non secutus est: inprimis vero ea quae in processu Romano atque in systemate actionum occurrunt arctoque nexu cum divisione actionum in stricti juris et bonae fidei actiones cohaerent, non satis perspexit; neque idem eam rationem, quae inter actiones arbitrarias et actiones stricti juris et bonae fidei intercedit, satis illustravit nec denique ea quae in jure Justinianeo ac praesertim in jure Germanico temporum decursu mutata sunt, bene explicuit.

Ordo medicorum quaestionem de asthmate thymico proposuerat, ad quam Commentatio Hippocraticis verbis:

„*Experimentum periculosum, judicium difficile.*"
insignita tradita est.

Auctor sermone bene latino, praemissis Prolegominis de notione asthmatis in genere, in prima parte historica primum singulos cum veterum tum recentiorum auctorum observationes collegit, dein systematica via ea composuit, quae ad morbi symptomata describenda ejusque naturam explicandam a Germanis inprimis medicis congesta sunt; denique quae sectiones cadaverum docuerunt retulit. In altera parte critica de asthmatis thymici origine et natura ejusque diagnosi prognosi et therapia disputavit. Rejectis vero adversariorum argumentis Auctor bene probavit, dari asthma infantile a thymi hypertrophia oriundum, idemque cum aliis similibus morbis ita comparavit, ut ab illis distinguatur. Etenim in hac re cardinem rei verti Auctor recte sensit, qui in his rebus pertractandis non minoris eruditionis quam ingenii acuminis testimonia exhibuit. Qua de causa Ordo Medicorum opus praemio dignum esse censuit atque decrevit.

Sigillo remoto nomen victoris apparet:

GUSTAVUS VEESENMAYER

Ulmensis.

Digitized by Google

Ab Ordine Philosophorum quaesitum erat,

„num leges, quibus praediorum rusticorum divisio prohibetur, nostris temporibus conservandae an abrogandae sint.“

Duae oblatae sunt commentationes his symbolis signatae:

1) *„Sapientiae est videre, multorum civium calamitatem a republica sejunctam esse non posse.“*

Cicero.

2) *„Nil laudis causa facito et tamen omnia, laudem Quae tibi conciliare queunt, ea sedulus aude.“*

Muretus.

de quibus Ordo ita censuit: Ea commissio, quae Mureti verbis inscripta est, quum sex diebus post terminum lege constitutum tradita sit, neque huic vitio quidquam indulgere nobis liceat, nullo modo, et ne tum quidem, si alteram longe antecelleret, praemio ornari potuisset. Libenter vero auctori eam laudem, quam nobis meruisse videtur, tribuimus. Quamquam enim rem paullo brevius, quam pro ejus gravitate, absolvit, tamen argumentum bene perspexit recteque de eo judicavit, ita ut, cum aliorum scriptorum praecipue meditationibus uteretur, se ab erroribus liberum praestaret.

Prior commentatio, cujus tessera ex Cicerone desumta est, insignis diligentiae praebet documenta. Auctor non solum multa collegit, sed materiem quoque congestam bene digessit, nec aliorum tantum vestigia pressit, sed suo Marte et ingenii acumine quodam indagandae veritati operam adhibuit. Non omnia quidem in eo nobis placent. Nonnullae occurrunt opiniones, quae, si diligentius perpenderentur, probari non possent. In praemissa parte historica saepius accurata narratio desideratur, isque ipse ardor juvenilis in toto opere conspicuus, quantumvis laudandus, tamen interdum auctoris calamum a recta via abduxit. Nihilominus Ordo huic commentationi praemium decrevit, hac praesertim ratione permotus, quod, si non usquequaque, tamen in disciplinis ad rempublicam spectantibus, in quibus doctrinae limites proferre juvenibus crebra experientia carentibus nimis arduum est, jam diligens investigatio assiduaque

Digitized by Google

meditatio laurea ornari merentur, quippe quae, si continuentur, uberes et patriae et doctrinae editurae sint fructus.

Aperta schedula victoris nomen video hoc:

AUGUSTUS WEEBER, Werthemiensis.

Quaestioni mathematicae nemo respondit.

Pro futuro anno Theologorum Ordo postulat, ut

„colligantur quae de Pharisaeorum Sadducaeorum et Essenorum sectis testimonia historica exstant, singularumque earum dogmata ac praecepta ordine pertractentur."

Nova quaestio, quam Ordo Jurisconsultorum proponit est haec:

„Exponatur doctrina de vi rei judicatae in processu criminali."

„In hac quaestione tractanda ea quae in jure Romano aliisque fontibus juris communis obveniunt bene explicanda, tum vero etiam ea, quae in novis Codicibus juris criminalis circa rem judicatam mutata sunt, diligenter examinanda sunt."

Medicorum Ordo disseri jubet:

„De usu et fructu, qui ex auscultatione in artem obstetriciam redundant."

Novae quaestiones Ordinis Philosophorum sunt hae:

1) ex philologia:

„Disseratur de situ et antiquitatibus insulae Andri."

2) ex philosophia:

„Aristotelis doctrina de categoriis explicetur, cum Kantii doctrina de categoriis conferatur utriusque doctrinae et similitudo et dissimilitudo explanetur."

Digitized by Google

Qui quaestiones hasce novas proposuerunt, vos, commilitones, ex meo ore in arenam provocant, in qua virtus vestra se exercere possit.

Nunc pia nuncupemus vota pro LEOPOLDO, Magno Duce Badarum, patre patriae, magnificentissimo Universitatis Rectore.

Deus Optimus Maximus servet nostram Academiam integram, ipsamque augeat ad gloriam laudemque germanicorum populorum promovendam. Oremus supplices, ut Summum Numen omnes, qui rebus literariis nostris prospiciunt, benigne tueri non cesset.

Digitized by Google

Univ. of Heidelb. 2:31
5, 13, 1, 5—

NATALITIA
PRINCIPIS BEATISSIMAE MEMORIAE
CAROLI FRIDERICI
BADARUM NUPER MAGNI DUCIS
HEIDELBERGENSIS LITERARUM UNIVERSITATIS
RESTITUTORIS

DIE XXII NOVEMBRIS MDCCCLXI.

PIE CELEBRAT

ACADEMIA RUPERTO-CAROLA

SIMULQUE JUDICIA

DE COMMISSIONIBUS EXHIBITIS FACTA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNTIAT

CONR. EUG. FRANC. ROSSHIRT

J. U. DOCTOR MAGNO DUCI BADARUM A CONSILIIS AULAE INTIM. PROF. PUBL. ORD.
COMMENDATOR ORD. LEON. ZARING. ET GREGORII MAGNI
ACADEMIAE H. T. PRORECTOR.

DISSERITUR

DE STUDIIS JURIS CIVILIS ET CANONICI IN GERMANIAE UNIVERSITATIBUS MEDII AEVI.

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII MOHR.

MDCCCLXI.

PARSONS LIBRARY UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefecti urbis nostrae clarissimi,
Collegae conjunctissimi,
Viri summe venerabiles, juris consultissimi,
experientissimi, clarissimi,
Auditores omnium ordinum, quotquot
adestis, honoratissimi.

Divi Caroli Friderici natalitia ubi celebramus, hujus diei solemnitas honorificum mihi imponit officium, ut in memoriam Divi Principis, quem Academiae Nostrae a Ruperto olim conditae restauratorem pie colimus, verba facturus nonnulla proferam, quae quum ad historiam Universitatum Germaniae ac praecipue ad juris civilis et canonici studia pertineant, vestris studiis haud ingrata et accommodata esse videantur.

Imprimis vero, auditores spectatissimi, in memoriam vestram revocare cogor, hunc annum Academiae nostrae gratissimum celebrandum esse. Etenim omnes fere literarum Universitates decem lustra absoluta si habent, invitare quum soleant reliquas Universitates, tanquam sorores, ut animo votisque adsint ad haec ipsa decem lustra feliciter peracta concelebranda, nostra vero Universitas haud scio an omnium antiquissima jam decem et quinque lustris saeculi hujus peractis gaudeat, equidem, qui vestris sufragiis in hunc locum evectus sum, nunc ipse una vobiscum Academiae gratulabundus in medium procedo.

Eam vero rem, de qua dicturus sum, nemo nescit, a doctissimo et illustrissimo Savignio nunc pie defuncto in opere celeberrimo historiae juris Romani medii aevi

felici successu tractatam esse, quod attinet ad Italiae et Galliae et Hispaniarum Universitates, atque doctissimum quoque Thomassinum quaedam ex jure canonico de Polonia exposuisse:*) sed celeberrimi hi juris Romani et Canonici praeceptores nostrarum Germaniae Universitatum studia minus respexerunt. Itaque haud scio an ipse operae pretium facturus sim, si de his studiis nonnulla in medium proferam, quae e libris MS. potissimum ducta necdum cognita ad accuratiorem Universitatum et studiorum in his tractatorum cognitionem nonnihil facere posse videantur.

Studia generalia, quae tunc temporis dicuntur, institui non poterant, nisi re ad Pontificem maximum delata et cum hoc tractata: ab hujus enim approbatione pendebant tam artes liberales quam ipsius theologiae studia, cujus doctores tamquam magistri artium agebant. Idem fere obtinuit in jurisprudentia, cum doctores decretorum haberentur pro theologiae externae magistris; unde factum est, ut Clemens VI. in bulla sexti Januarii anni millesimi trecentesimi quadragesimi septimi hoc institutum non tantum utile esse declararet, sed etiam gradus ab Universitate Pragensi impetratos per omnem Christianum terrarum orbem valere juberet: quod quantum ad scientiae studia in universum promovenda valuerit, nemo non intelligit.**)

Ac si ad Universitatem Pragensem respicias tanquam parentem universitatum Germaniae, quae ex auctoritate Pontificis Summi instituta est, simul recurrendum est ad ejus statum politicum et oeconomicum, quo modo regeretur et conservaretur.

---

*) Clemens pontifex V. de studiis generalibus in urbe Romae, Bononiae, Salamantica, Oxoniensi tractat Clem. 1. V. 1.

**) De Universitate Pragensi exstant varia sed non satis accurate perscripta opera: Stabel, Geschichte der juristischen Facultät 3 Bände. Prag 1827. Voigt, Versuch einer Geschichte der Universität Prag. Prag, 1776. Liber Decanorum facult. philosophicae Universitatis Pragensis. Pragae 1830. Statuta Universitatis Pragensis — conjuncta opera D. Antonii Dittrich et D. Antonii Spirk (Monumenta historica t. III). Tomek, Geschichte der Prager Universität. Prag 1849.

Digitized by Google

Quod ad sumtus necessarios attinet, debuit jam illo tempore Carolus IV. subsidia impetrare a Bohemiae statibus, qui dicuntur, a quibus cum sumtus necessarii concessi essent, id publice professus est in aurea bulla septimi Aprilis A. millesimi trecentesimi quadragesimi octavi, qua res universitati necessarias in ipsam se collaturum esse declaravit.

Tum etiam ea imitatus est, quae de studiosis Bononiensibus Fridericus primus instituerat, ut studiosi cum omni securitate proficisci possent. His peractis Universitatem Pragensem bulla decimi quarti Januarii anni millesimi trecentesimi quadragesimi noni Caesar Germaniae confirmavit.

Denique ad hanc Universitatem idcirco nobis iterum recurrendum est, quoniam hic instituta medio aevo usitata in docendi et regendi et vivendi modo apud doctores et scholares inter nationes divisos maxime obtinebant.

In methodo docendi fuit studium in artibus quod in Gallia inde a Caroli Magni temporibus admodum colebatur: ubi trivium et quadrivium erat conjunctum, studium generale dicebatur: doctores decretorum et theologiae fiebant magistri artium ac medicina quoque hoc studio continebatur, et quod ad rem physicam et chirurgicam attinet, uti tum res medicinalis appellabatur, multum jam ea in Universitate Parisiensi tractabatur, ut Bulaeus et Pasquier, celeberrimi hujus Universitatis scriptores, testantur. Medicos ad artistas pertinuisse, etiam Sarti de Bononia eloquitur, serius demum doctoris honores illos accepisse concedens.*) De legistis neque in Universitate Pragensi neque in Parisiensi illo tempore verba facta sunt.

In jure regendi Pragensis Universitas eadem instituta accipiebat, quae Parisiis, ubi Carolus IV. ipse studiis operam dederat,**) obtinuerunt: itaque magistri et scholares in unam Universitatem atque jurisdictionis potestate in unam rem publicam omnium civium civitatique annexorum conjuncti erant.***) Rector ut in Parisiensi

*) De claris Archigymn. Bonon. professoribus I. pag. 484.

**) Vitam Caroli IV. et quidem literariam descripsit Joannes II. Archiepiscopus-Pragensis in orat. funeb. post mortem Caroli IV. apud Freher. pag. 110. (Origg. palatt.)

***) Ex methodo docendi fuit vocabulum „studium generale conservatum et in nostro saeculo in univ. Heidelbergensi sed" — ex jure regendi" universitas.

Digitized by Google

e magistris sumebatur. Universitatis res externas politicas et oeconomicas curabat, ordinique licentiatus impetrando praeerat Cancellarius, plerumque Archiepiscopus Pragensis inde a Clementis VI. temporibus.

Quod ad modum vivendi attinet, magistri et scholares praecipue in rebus familiaribus per nationes divisi erant, quatuor in Pragensi et Viennensi; in Heidelbergensi, quas institui voluerat Rupertus, eae nunquam lucem viderunt.

Vix ulla per Germaniam reperitur schola, in qua quas vices, quae fata passa sint doctrinae studia, melius cognoscere possimus, quam in Universitate Heidelbergensi; nec mirum inde neque fortunae casui tribuendum, quod omnibus temporibus Academiae Heidelbergensis tanta fuit vis atque auctoritas: optime id cognosci poterit ex documentorum copia adhuc superstite omnemque Academiae historiam eximie illustrante.

Cujus historiam si spectamus, tres periodi distingui poterunt:

1) prima inde ab anno millesimo trecentesimo octogesimo sexto usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum — quo anno Otto Henricus Universitatem, quae usque ad hoc tempus medii aevi instituta pure sequebatur, reformavit.

2) Altera periodus usque ad annum millesimum septingentesimum quintum: his temporibus omnes fere disciplinae secundum reformatorum doctrinam reformatae sunt. In jurisprudentia, quae antea duos habuerat facultates et quidem rectissime, quia plane alia est ratio juris ecclesiae, quam rerum publicarum et saecularium constitutio, ab Ottone Henrico institutum est, ut una tantum remaneret legistarum facultas, addito uno doctore decretalium quasi professore artis judiciariae idque idem invenitur in statutis Joannis Casimiri atque Caroli Ludovici. Nec ullum quidem hoc tempore vestigium reperitur juris ecclesiastici Protestantium: adeo interierat omnis vigor juris canonici.*)

*) Häusser in opere historiae Palatinae vol. II. p. 203. de hac re haec eloquitur: „für die Jurisprudenz war eben so reichlich gesorgt, wenn man das an protestantischen Universitäten damals etwas vernachlässigte Kirchenrecht der Katholiken ausnimmt."

Digitized by Google

3) Tertia periodus usque ad nostram aetatem. Juris canonici studia revocata quidem sunt, sed non rehabilitata. Ac tota horum studiorum ratio commutata est inde ab anno millesimo octingentesimo tertio, quo Carolus Fridericus ipse Universitatem restituit, vel nova ipsius statuta edidit.

Prima periodus

in qua antiqua studiorum forma conservata fuit.

Haec potissimum nobis sunt respicienda:

a) doctores vel magistri et ratio studiorum,

b) scholares et promotiones,

c) regimen Universitatis,

d) libri, quibus tum ad studia colenda utebantur, de qua re multa eaque egregia inveniuntur tradita in C. MS. Universitatis nostrae tom. I. Annalium.

Quae tractantes, nos continebimus in iis, quae ad jurisprudentiam pertinent

Fuerunt tantum doctores decretorum, jusque canonicum quasi unicum et quidem commune habebatur per Galliam aeque atque per Germaniam. Bene enim intellexerunt, in Decreto Gratiani non solum juris naturalis fundamentum ex jure divino quasi traditum vel sumtum et derivatum, sed notiones quoque regulasque juris Romani reperiri. Id vero nostro tempore non solum in Codice Gallico reperitur sed per totum orbem cognoscitur; De hac re i. e. de vi, ambitu et auctoritate tam juris canonici quam juris Romani testatur Cardinalis Wiseman vir doctissimus in dissertatione nunc edita de ecclesia et scientia.*) Aliae res juris relinquebantur consuetudinibus moribusque singularum gentium et civitatum.

*) Haec oratio habita est vigesimo nono die Junii hujus anni Londini, cum docti quidam conjungerentur in societatem, quae appellatur academia religionis catholicae. Multa hic proferuntur de ratione, quae obtinet inter ecclesiam et scientiam, philosophiamque rerum naturalium.

Digitized by Google

In Universitate Pragensi jus Romanum solummodo ex jure Canonico cognosci poterat, uti docet Tomek: in Parisiensi obtinuit Honorii constitutio „super specula“ —, in Heidelbergensi rarius tantum juris civilis professorem institutum invenimus. Studiorum et literarum rationem, qualis in Heidelbergensi Universitate floruit, optime cognoscimus e Codice Heidelbergensi tom I.; inde intelligimus, quo modo et qua ratione praelectiones de Decreto et de Decretalibus habitae sint, quo modo promotiones factae sint, atque ubi de doctoratu juris agitur, additum invenimus „sciendum, quod facultas juris desinit in legistis“ — sequitur index promotionum usque ad saeculum decimum quintum continuatus, in quo si quando legista commemoratur, is de codice praelectiones habet: pandectae istis temporibus vix cognitae fuisse videntur: in jure canonico collectiones antiquae quoque ignorabantur, ut ex indice librorum, quem idem codex profert, satis apparet. Primus legista erat Dominus Matthaeus protonotarius Arragonensis.

Doctrinae opera, quibus illius temporis Jureconsulti utebantur, in eodem codice, qui horum operum accuratum continet indicem, exhibentur vel scripta de decreto et decretalibus, scripta Innocentii, Hostiensis, Andreae, Mandagoti, Archidiaconi, et ipsa fontium opera vel opera ad usum practicum pertinentia, ut opus Durandi, Rolandini, ex quibus omnibus cognosci potest, jus canonicum sua eaque propria habuisse verba et vocabula: denique institutiones juris Romani, Codex Justinianeus, sed Pandectarum solummodo partes, denique vocabularia juris. Reperiuntur quoque in his alius argumenti libri, ut Boethii consolatio, Senecae ludus de morte Claudii, plura ad theologiam spectantia volumina. *)

Ita omnes libri, quos Universitatis bibliotheca acquisivit, in hunc quoque indicem relati sunt, qui praebet bibliothecarum tunc temporis constitutarum speciem.

Praefuit Universitati Vicecancellarius: Rector ex artistis eligebatur et vocabatur Rector universitatis studii Heidelbergensis; saepius appellantur „Rector, doctores et magistri Universitatis Heidelbergensis. Primus professor juris Canonici Joannes Voet fuit, artium quoque magister et Rector. Praga hic venerat. Legistarum nulla

*) Librorum hic asservatorum index huic dissertationi appendicis loco additur.

Digitized by Google

ratio Heidelbergae habita est, in statutis autem cautum erat, ut, cum legista in facultate deesset, in examinibus et promotionibus doctor vel licentiatus juris civilis arcesseretur, donec facultas vel hac ratione plena esset facta.

Scholares in bursis habitabant, de quarum visitatione praesertim per horas nocturnas plura in Codice inveniuntur statuta, quia bursarum praepositi multa celare solebant.

Per totum fere medium aevum more antiquo literae tractabantur. Jus Canonicum colebatur tanquam antiquum aeque atque novum: mox vero decretum cum paulatim in desuetudinem abiisset, jus decretalium primum obtinuit locum, conjungique cum eo coepta est historia ecclesiastica simulque etiam jus Canonicum in dies majorem vim accepit in processu, accedentibus practicorum sententiis inde a Durandi aetate. Paulatim legistae sed rarius in Germania, quam in Italia et Gallia exoriuntur, praesertim in Palatinatu, cum principes Palatini crebrius constituerent, ut a jure particulari eoque solito standum esset, ita ut omnes fontes juris illius temporis vel in jure Canonico vel particulari Germanico reperiantur.*) Quoniam vero progrediente juris scientia secundum Bartoli rationem et serioris aevi medii rationem jus quodammodo commune quasi mixtum ex jure Romano et Canonico colebatur, tres in Universitate professores creati sunt, Codicis, Institutionum et Pandectarum.

Quibus de rebus, quum abunde expositum sit a celeberr. Wundtio,**) hoc loco pluribus agere haud necessarium esse videtur.

Neque alio modo artes ad rationem antiquam et solitam tractabantur, ipsique Jurisconsulti magistri artium quoque esse maluerunt, non solum honoris et recto-

*) Höfler in libro „Rupertus Palatinus. Friburgi, 1861. pag. 129. not 3. profert: haec „Da Land und Leuten von dem Kaiserrecht grosser Schaden begegnet wäre und noch bevorstehe, so wolle er (Rupert) dass beschrieben Rechte unsern Ländern am Rhein wieder sollen beschrieben geben werden in Büchern, dass sich unser Städt und Dörfer darnach gerichten mögen. „Tolner hist. palat., qua vero docetur, talem librum nullo modo esse perfectum. (Male ibi citatur doc. LXXXV. pro LXXXVIII.)

**) Programm. de origine et progressu facultatis juridicae in Acad. Heidelb. pag. V.

2

natus causa, sed etiam, quod saecularis scientiae ratio et dignitas id quodammodo postulare videbatur.

Theologorum scientia scholasticam sequebatur.

Periodus altera

quae non solum scientiam sed etiam statum politicum reformare studuit.

Jam quae mutatio sub Ottone Henrico anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo facta est, cui nonnulla postea anno m. q. septuagesimo quinto accesserunt, ea accuratius nobis inspicienda erit. Ac satis inter omnes constat, typographica arte inventa magnam omnium rerum indeque etiam literarum et studiorum mutationem esse allatam, adeo ut libri typis expressi mox in locum librorum manuscriptorum cederent, qui ipsi paulatim interierunt, cum non amplius describerentur; nec mirum, magnam quoque id vim exercuisse in Universitates omnemque studiorum rationem, quae hoc loco uberius persequi non vacat: id unum nobis monendum est, jus Canonicum fere neglectum esse. Otto Henricus in reformatione anni m. q. quinquagesimi octavi duplicem Jurisconsultorum facultatem, canonicam et legisticam sustulit, eoque studium juris Canonici plane suppressit: his verbis

> wiewol unsre vorfahren diese der juristenfakultät in zwey Theil nämlich das canonicum oder geistlich Recht und das weltlich civile genannt unterscheiden und getheilt — so haben wir doch angesehen gegenwärtiger Zeitläufte, obgenannte beide Stück zusammengezogen.

Addit idem

> wer (professor) ein anderes lesen wollte, als secundum decretalium — dass er solches zuvor Decano et facultati juridicae die solchen zu erwägen und zu bedenken, ob es nützlich und ohne Verlezung unserer christlichen Religion bestehen möge.

Digitized by Google

Quo modo fieri potuit, ut seriori tempore a facultate ipsa ad electorem rescriberetur*)

dass die auditores zum Theil in dem irrigen Wahn waren, dass in explicandis decretalibus nichts sonderlichs fruchtliches docirt werde.

Quod Heidelbergae factum est, idem in ceteris Protestantium Universitatibus invenitur: neque casu effectum esse videtur, ut in Catholicorum Universitatibus juris Canonici vis et dignitas imminueretur, et ambitus totaque studiorum ratio una cum systemate juris per christianum orbem propagato laederetur atque inde delaberetur. In quem finem adeo respicere licet ad Universitatem Jngolstadtiensem.**) Atque ex hac Ottonis Henrici reformatione nullus Rector ex lectoribus juris Canonici electus est usque ad annum m. septingentesimum octavum.***)

Erat solummodo Decretalium professor, qui Decretalium librum secundum explicabat, et ex quo simul judiciorum doctrinam tradebat: tres nunc nominati erant juris civilis professores — professor Codicis, qui postea etiam jus publicum assumebat, deinde Institutionum et Pandectarum professores, quorum prior jus naturae et criminale, alter jus feudale docebat.****)

In tribus statutis (1558, 1588, 1672) salaria horum quatuor professorum constituta et aucta indicantur. Quae statuta ut maximi sunt momenti et transierunt in statuta aliarum civitatum Protestantium, ita satis ostendunt juris Canonici parvam per illa tempora fuisse vim et auctoritatem. Neque vero aliter aliis in Protestantium Universitatibus res se habuit: tantum serioribus ex temporibus opus eximium laudari potest J. H. Böhmeri, qui accuratissime fontes juris Canonici examinavit ipsumque argumentum subtiliter disquisivit, operamque omnem dedit, ne jus Canonicum, quod ad Protestantium civitates attinet, prorsus interiret.

---

*) Annales t. XI. fol. 277—280.

**) Annales Ingolstadtiensis Academiae inchoarunt Valentinus Rotmarus et Joannes Engerdus, emend. auxit continu. Joann.-Nepomuc. Mederer. Ingolstadt, 1782.

***) Schwab syllab. rectorum t. II. p. 127—sqq.

****) Quo modo per Italiam speciales doctrinae processus, juris feudalis et criminalis excolerentur, jam ab aliis explicatum est. cf. Rosshirt hist. et syst. jur. crim. part I.

Digitized by Google

Sed tunc haec disciplina alteri forsan discrimini subjecta est, quod jus ecclesiasticum nova ratione tractari coepit a scriptoribus Protestantium quam Catholicorum. Böhmeri et patris et filii vestigia legentium.

Hoc vero modo jus Canonicum tanquam proprium juris christiani systema resurgi et ex sepulcro quasi revocari non poterat. Hierarchia ecclesiae Catholicae tunc temporis minus cognoscebatur et dijudicabatur, ipse enim Böhmerus omnem contulit operam in eam hujus disciplinae partem, quam nominavit jus parochiale Protestantium.

Etenim jus ecclesiasticum quasi interna pars juris publici subjectum fuit, quod vero nullo modo pendet ex legibus saecularibus, sed potius tanquam theologia externa et jus Christianitatis per totum orbem diffusum conservandum est, de quo suo tempore a nobis plura dicenda et explicanda erunt. Haec plane ad tertiam periodum spectare videntur, in qua consistere placet.

His denique adjiciamus quaedam singularia de scholaribus et dignitatibus medii aevi.

Literarum studia, medio aevo exeunte, denuo in Italia efflorescentia, id efficere debebant, ut homines ad veros humanitatis fontes revocarent, eorumque animos cujusque boni et veri sensu imbuerent; itaque Bononiam confluxere omnes omnium gentium literarum studiosi, qui secundum nationes divisi et hoc gentilitatis vinculo conjuncti ipsi ordinem omnibus constitutum sequebantur sub tutela Papae et singularum urbium: illi se ipsos regebant adeo, ut non solum auditores sed etiam docentes scholaribus adnumerarentur.

Idem Parisiis factum esse videmus, sed ibi regimen penes Magistros fuit: scholares, qui in bursis conjungebantur, regimini a se in rebus familiaribus constituto subjecti fuerunt. Haec bursarum ratio in Germaniam deinde quoque propagata transiit, namque conveniebat corporationum naturae per medium aevum Conditae sunt hae bursae a singulis benefactoribus certum in finem, idque in Universitate Heidelbergensi, in qua postremo omnes bursae in unam conjunctae inveniuntur, optime intelligi potest: et quamquam bursae isque familiarum ordo atque

Digitized by Google

alia, quae ad medii aevi rationes accedebant, aut inde deducta erant, tollebantur, tamen mox intellectum est, necessarium esse adolescentes certo regimini atque imperio subjicere, quod ex ipsis sodalibus sumtum, praecipue secundum singularum terrarum et gentium consuetudines constituebatur.

Unde gliscente abusu extitit pennalismus, qui apud nostrates dicitur, more Gallico, quo vocabulum occurrit bejaune: beanus. Is est novellus studiosus, qui ad Academiam nuper accessit: beanus est avicula nesciens vitam studiosorum, quae nondum e nido evolavit. Beanus deponere debuit vitam consuetam, uti placuit dicere, cornua: ideo ritus et modus depositionis beanorum (Gelbschnabel). Is quidem recipiebatur inter bacchantes, cujus capellos depositos circumcidebat, certos quosdam ritus observans, unde Schoristae nomen accipiebat, ipseque vero familiaris magister quasi erat, eique subditus pennalista vocabatur.

Hicce pennalismus cum multa afferret mala et detrimenta,*) a principibus nonnullis aeque atque a conventu principum Protestantium Germanico Ratisponae convocatorum imprimis Palatinorum severissime interdicebatur.**) In Catholicorum Universitatibus minus propagatus ille fuisse indeque etiam minorem vim habuisse videtur.

Quamquam vel posteris temporibus mansit nomen: novellus studiosus; olim vocabatur Justinianista, serius voce germanica Fuchs:***) interiit tamen et nationalismus et pennalismus: sed nunc exorti sunt ordines, qui dicuntur — similes societati latomorum aliisque hujusmodi institutis, mox vero et ipsi sublati sunt et interdicti. Praeterea inveniuntur sodalitates et corpora, quae suis statutis regebantur praesertim in iis, quae ad duellum pertinent receptum more germanico ex statu nobilium. Ac sane vel abusum utique facile irrepentem si concesseris, tamen negari nequit, studiosorum juvenum vitam, quae societatibus careat, cogitari vix posse: quamquam ad animi recreationem vitaeque jucunditatem in talibus nunc magis

*) Schwab syllab. rector. t. II. pag. 15.

**) Annal. Heidelberg. anni 1654. p. 377, 379.

***) Schulfuchs.

Digitized by Google

spectari, quam ad literarum studia, nemo est, qui negare possit. Itaque ex studiosorum sodalitiis, qualia nunc reperiuntur, nihil quod ad literarum studia imprimis ad jus Canonicum pertinet, colligi posse, sed id potius quaeri, ut nobilium status et honestas vitae inter studiosos quodammodo conservetur, neminem fugit.

Jam de dignitatibus et honoribus academicis iisque conferendis nonnulla afferamus.

Theologi ab initio fuerunt magistri in artibus, postea receperunt titulum doctoris decretorum; majoris vero momenti id est, quod Rector Universitatis e Magistris eligebatur: ideoque doctor decretorum nullo modo ex hac dignitate, sed tantum si magister in artibus simul extitit, admittebatur. Nec minus medicus erat magister in artibus, variasque vices et fata non tam e libro Ackermanni valde celebrato de schola Salernitana, quam ex egregio opere Bulaei de Universitate Parisiensi cognoscere licet. Legista non raro dignitatem suam referebat ad Bononiensem et Aurelianensem Universitatem. Apud Ultramontanos et Citramontanos utriusque juris doctores si erant laici, distinguebantur a magistris, ad quos clerici tanquam doctores decretorum saepissime pertinebant.

Quod vero Sarti praeter septem artes philosophiam quoque recenset prioribus saeculis tanquam proprium doctrinae genus, falsum videtur, cum philosophia ad artes pertineret: id expresse indicat Bulaeus exponens, lectiones literaturae Graecae ad grammaticam spectare, neque de metaphysica et philosophia naturali tractare.

Philosophia ipsa erat pars dialectica. Bulaeus lib. III. 82 profert: „legant libros Aristotelis de dialectica, duos Priscianos, legant philosophos et Rhetorica, quadrivilia, barbarismum et ethicam, quartum topicorum: non legantur libri Aristotelis de metaphysica et naturali philosophia, nec summa de eisdem M. David de dinant aut Almerici haeretici aut Mauritii Hispanici".*)

In Universitatibus ultramontanis initio legistae doctores laici ad Universitatem

---

*) Bulaeus III. 82. Tu vid. Catalogum librorum in Univ. Pragensi apud. Voigt pag. 98.

Digitized by Google

haud accensebantur.*) Doctores quoque decretorum itemque doctores medicinae omnino ab artistis distinguebantur et proprios ordines constituebant, inde enim ortae sunt quatuor facultates. Hoc modo adeo factum est, ut doctores decretorum et legum crebro in duas facultates conjuncti reperiantur.

Fuerunt autem illis temporibus tres honorum gradus: baccalaureatus,**) licentiatus, doctoratus. Medicinae doctores in Parisiensi Universitate adeo coelibes esse debebant, postea tamen hoc abrogatum est: idemque etiam canonistis laicis concessum est. In Heidelbergensi Universitate jam mature baccalaureatus sublatus est, ut ex Annalibus intelligimus, quibus continentur indices Licentiatorum et Doctorum.

Magistri et Doctores, qui lectiones habebant, dicebantur regentes vel actu regentes, ceteri non regentes: inde in majoribus Universitatibus, ut in Pragensi et Viennensi, duo collegia instituebantur — professorum et doctorum, quemadmodum id adhuc in Viennensi obtinet. Licentiatorum rationes haud recte exposuit J. H. Böhmer,***) ideoque merito vituperatus a Sarti, qui vitam celeberrimi Gratiani exponit.

Quod ad salaria attinet, theologi tanquam magistri in artibus beneficia non habebant, quia erant alio modo praebendati: reliqui professores accipiebant salaria a regibus et principibus, idque non in Gallia et Anglia tantum factum est, verum etiam in Germania atque in hac ipsa Universitate Heidelbergensi, ut ex Annalibus nostrae Universitatis satis superque constat: unde respublica Universitatum quodammodo libera, quia dotatio ex aerario facta est, valde mutata est, adeo ut nostris temporibus Universitates Germaniae assumserint formam institutorum publicorum.

Quod vero in tanta omnium rerum commutatione academici gradus adhuc servati sunt, id quidem et ipsum dignitatem Universitatis retentam declarat, simulque eam animorum libertatem, ad quam etiam nunc studia nostra sunt dirigenda.

---

*) Glossa ad Clem. 2 lib. §. 1. s. v. doctoratus Ultramontani et Citramontani in omnibus rebus diversi.

**) bachelier à bataille — derivatur.

***) praef. ad Decretum.

Jam accedam ad ea, quae mihi hanc dicendi occasionem omnino praebuerunt: etenim more consueto indicanda sunt, quae anno praeterito Academiae nostrae acciderint, simulque judicia Ordinum renuntianda de iis, qui quaestiones anno praeterlapso propositas solvere conati sunt, ac denique novae quaestiones proponendae.

sit. Quae lex antiqua quae fuerit, nullibi scriptum invenimus, neque etiam e vocabulo *antiquum* de eius aetate aliquid derivari potest, quia haec vox, uti verbum vetus, omnino ambigua, ab imperatoribus posterioribus ad tempora antiquissima non semper refertur [1]). Quare *Balduinus* bene dicit, cuius auctoris temporisve haec lex fuerit, se nescire [2]). *Cuiacius* [3]) vero legem antiquam nostram forsitan duodecim tabularum fuisse coniicit; sed argumentum non affert. *Frantzkius* [4]) quidem propter solam legis simplicitatem duodecim eam tabulis constitutam esse affirmat, quae vero sententia ea de causa nullius momenti est, quia multa, etsi simplicia, recentioribus legibus constituta sunt. Ut ut est, hanc legem antiquam *Ciceronis* aetate adhuc in usu fuisse, ex eius epistolis [5]) intelligimus. Dubia quidem movet *Balduinus* [6]) ob ea, quae relata sunt in L. 48. §. 1. mand. (17. 1.) ex scriptis *Mucii Scaevolae*, qui ante *Ciceronem* vixit; sed oblitus est eius, quod saepissime contingit, nimirum res facti exstare posse,

1) *Dirksen* Beiträge, Abhandl. 2. p. 183. et ibid. nota 49 — 52.

2) Justinianus sive de iure novo commentariorum libri IV. Basil. 1560. p. 525.

3) Expositio Novell. ad Novell. IV. (in opp. T. 2. p. 1036.).

4) Resolutt. L. I. Resp. 12. nro. 1.

5) Epist. ad Atticum L. XII. ep. 14. — — — »Quod scribis a Junio te appellatum: omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire velim, quando dicar spopondisse« etc. etc. — *Idem* ibid. ep. 17. »Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV. spopondisse dicit Flavius; etsi reus locuples est et Appuleius praediator liberalis; tamen velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita« etc. etc. — *Idem* ibid. L. XVI. ep. 15. — — »possumus enim, ut sponsores *non*« (quam lectionem Gronovius in Graevii editione merito nobis praeferre videtur) »appellentur, procuratores introducere. Neque enim illi litem contestabuntur; quo facto, non sum nescius, sponsores liberari.«

6) l. c. p. 527.

Digitized by Google

quae iure praecipiente exstare non debuissent; ubi etiam hodie saepe fideiussores ante debitorem principalem conventos et solventes videmus, qui ex principiis Novellae quartae creditorem exceptione excussionis repellere potuissent.

Quae modo diximus veteris iuris principia sub imperatoribus per usum [1]) ita sunt commutata, ut creditori liberum arbitrium in debitore aut fideiussore conveniendo permitteretur. Omnes fere interpretes haec nova imperatoribus *posterioribus* adscribunt, quod quidem iis, quae *Justinianus* in Novella IV. cap. 1. de remedio antiquae legis (in casu absentiae debitoris principalis) a *Papiniano* (sub Sept. Severo et Caracalla vivente) introducto dicit, confirmari videtur. Sed iam *Papiniani* praeceptor, *Q. Cervidius Scaevola* in

L. 62. (al. 63.) de fideiuss. (46. 1.):

(Si fideiussor creditori denuntiaverit, ut debitorem ad solvendam pecuniam compelleret, vel pignus distraheret, isque cessaverit, an possit eum fideiussor doli mali exceptione summovere? Respondit: Non posse.)

liberam creditori electionem permittit, quod etiam affirmat ipse *Papinianus* in

L. Inter eos fideiussores 51. (al. 52.). §. 3. de fideiuss. (46. 1.):

Creditor pignus distrahere non cogitur, si fideiussorem simpliciter acceptum ommisso pignore velit convenire.

Eadem rescriptis imperatorum continentur, quorum temporibus et postea quoque *Papinianus* vixit.

---

1) Ut Justinianus ipse dicit in praefat. ad Novell. IV.

Digitized by Google

L. 3. C. de fideiuss. et mandat. (8. 41.) Impp. *Severus* et *Antoninus* A. A. Maximo:

Non recte procuratores nostri, si allegationi tuae fides adesset, audire te noluerunt, ex bonis fideiussoris, quae ad fiscum pervenerunt, pecuniam repetentem, sed reum principalem conveniri iusserunt, cum electionis potestas permittatur creditori.

L. 5. ibid. Imp. *Antoninus* A. Potamoni:

Jure nostro est potestas creditori, relicto reo eligendi fideiussores, nisi inter contrahentes aliud placitum doceatur.

L. 19. ibid. Impp. *Diocletianus* et *Maximianus* A. A. et C. C. Sabino:

Si alienam reo principaliter constituto obligationem suscepisti, vel fideiussoris, sive mandatoris, vel quocunque alio nomine pro debitore intercessisti, non posse creditorem urgeri, eum, qui mutuam accepit pecuniam, magis, quam te, convenire, scire debueras; cum, si hoc in initio contractus specialiter non placuit, habeat liberam electionem.

Idem ab iisdem repetitum est in L. 20. 21. 23. C. ibid.

Quod vero attinet ad *Papiniani* temperamentum, cuius supra mentionem iniecimus, nullibi, neque nominatim in Pandectis, vestigia eius invenimus, teste *Cuiacio* [1]), quare ad summum coniicere audeamus, in casu absentiae debitoris principalis ratione fideiussoris *indemnitatis* a *Papiniano* idem probatum esse, quod postea *Justinianus* ratione fideiussoris simplicis statuit.

---

1) Exposit. Novell. ad Nov. IV. (in opp. Tom. IV. p. 1036.)

Digitized by Google

Secundae periodi principium, quatenus ex meris grammaticae interpretationis praeceptis prono alveo fluebat, sibi quidem constabat, eo modo, quo v. g. JCti classici tantum varietatum numerum e quatuor legatorum formulis, verba solummodo sectantes, deducebant. Nam qui alienum debitum absque limitatione simpliciter in se suscipit, eo ipso, et quia conditiones non praesumuntur, solutionis obligationem aeque, ac debitor principalis, in se recipit, neque igitur, verborum unice ratione habita, ante debitorem conventus creditorem ad illum mittere potest.

Sed verbis neglectis iam primum apparet, rigorem illum iuris medii naturae negotii, et partium voluntati in regula omnino contrarium esse. Fideiussor enim, periculum plerumque gratis subiens, eatenus donator est, et quidem tam ratione debitoris principalis, quam creditoris. Quare quivis contra pudorem agere affirmet creditorem, qui, debitore ommisso, fideiussorem prius convenire velit; et ea de caussa in communi vitae consuetudine a creditoribus honestis fideiussorem ante debitorem principalem turbari nunquam fere invenies.

Qua iniquitate bene perspecta, *Justinianus*, qui in eo maxime sibi placebat, ut, apicibus iuris sublatis, sententias aequas, simplices et saniores praeferret, ad iuris veteris principia in Novella IV. cap. 1. ita reversus est, ut, solo casu absentiae debitoris principalis excepto [1]),

---

1) Praeter hanc unicam a Justiniano admissam exceptionem interpretes alias admittunt, quarum partem minimam reiecit *C. M. J. N. Guerdan* de liberalitate Justiniani per illiberalem interpretationem in beneficio ordinis mutilata. Heidelbergae 1769. (praeside *F. Alef*) cap. 6. Stupore forsan oppressus esset, si legisset *Berlichii* conclusiones practicabiles P. 2. concl. 24., ubi 91. casus enumerantur, in quibus beneficium excussionis ex sententia plurimorum, aut unius alteriusve interpretis non habeat locum. Exceptio sane lepidissima,

Digitized by Google

creditori debitoris principalis excutiendi obligationem iniungeret. Sed novum *Justinianus* in Nov. IV. beneficium aut privilegium contra ius commune minime concessit, verum potius ius vetus, in se, ut ita dicam, verum et rei naturae conveniens, restituit.

Qua lege recentissima fideiussor simplex in fideiussorem indemnitatis quodammodo conversus est. Sed dico *quodammodo*, quum iis non accedam, qui omnem inter utrumque differentiam sublatam esse affirmant [1]. Nam fideiussor indemnitatis ne tum quidem, si debitor principalis nondum excussus abest, conveniri potest (quod iuris veteris principium *Justinianus* in Nov. IV. minime mutavit), fideiussori simplici vero debitoris principalis absentia nocet, et inde dici potest, fideiussorem simplicem esse fideiussorem indemnitatis, limitibus quibusdam circumscriptum [2]. Quae hoc loco tantummodo adumbrata infra a me pluribus exponentur.

Iam redeamus ad quaestionem nostram: An fideiussor, si debitor, creditore excutiendi moram faciente decoxerit, teneatur nec ne? Ad quam nunc enodandam primo loco necessarium est, ut varias interpretum sententias enumeremus.

---

sed mihi doctori recens nato, ad fideiussiones pro amicis proclivi, tristissima est exceptio undecima, puta: exceptionem excussionis non competere doctoribus promotis, et quibuscunque aliis personis honestioribus, propterea quod illorum promissiones pro iuratis habeantur.

1) Veluti *Leyser*, Meditatt. Spec. 523. Medit. 12.

2) *Müller* Observat. pract. ad *Leyserum* Observat. 868. Aliam de differentia inter fideiussorem simplicem et indemnitatis sententiam ratione eius, quod ipso iure et ope exceptionis vocatur, protulit *Lauterbach* de beneficio excuss. Tubing. 1653. §. 18. et idem in diss. de indemnitatis fideiuss. Tubing. 1656. §. 37., de quibus infra.

Agmen ducat sententia glossatorum, a multis [1]) et nominatim a *Cuiacio* [2]) approbata, quae huc fere redit. Distinguendum esse inter simplicem et indemnitatis fideiussorem. Fideiussorem simplicem, si creditor aperte in dolo non sit, absolute teneri ob L. Si fideiuss. 62. (63.) de fideiuss. (46. 1.); indemnitatis vero fideiussorem ob creditoris culpam liberari.

Alii vero, uti *Merenda* [3]), hac distinctione omissa, simpliciter tradunt, fideiussorem se non posse liberare, allegando negligentiam creditoris in exigendo eo, quod sibi debeatur. Inter quos inprimis est *Thomasius* [4]), qui nominatim ratione fideiussoris indemnitatis idem asserit, rationes hoc modo subducendo: »Sed quid, si creditor segnis sit in exigendo, fideiussore licet aliquoties eum admonente, debitorque postea bonis labatur, an fideiussor noster (sc. indemnitatis) excusandus tunc erit? Negandum hoc per expressum textum in L. 62. de fideiuss. (46. 1.), quia creditor nunquam se obligavit fideiussori ad obsequium illiusque mandatum, bene autem fideiussor se illi ad praestationem indemnitatis, adeoque ipsi potius fideiussori incumbit, ad evitandum damnum urgere debitorem ad solutionem, et liberationem, aut praestationem cautionis, quod L. 38. §. 1. mandat. (17. 1.), cap. ult. X. de fideiuss. (3. 22.) probatur.«

---

1) *Val. Francus* Tractatus de fideiuss. Lips. 1594. cap. 6. §. 106. *Casp. Manzius*, Tractatus de fideiuss. Nordlingae 1741. cap. 11. §. 56—60. *A. Faber*, in Codice Fabriano. L. 8. Def. 39.

2) L. XVI. Responsor. Herennii Modestini ad L. 41. de fideiuss. (opp. T. VI. p. 687.).

3) Controv. iur. L. 11. cap. 19.

4) De fideiuss. indemnit. Halae. 1750. c. 7. §. 5.

Tertia ICtorum familia cum *Voetio* [1]) glossatorum principia secundum ius Digestorum et Codicis vera esse concedens, hoc ius medium ratione fideiussoris simplicis ex principiis Novellae quartae mutatum esse affirmat. Videndum enim esse dicunt, utrum fideiussor simplex beneficio ordinis, hac Novella ei concesso, renunciaverit, nec ne. Quod si non fecerit, eum fideiussori indemnitatis in genere omnino esse aequalem; sin veró renunciaverit excussionis beneficio, aut alio modo destitutus eo esset, eum eodem modo teneri, quo simplex in iure medio obligatus fuerit fideiussor.

Agmen claudant ICti, qui, partim sine lege, aliis distinctionibus rem conficere student.

Primo loco *A. Gomezii* [2]) proferamus sententiam ita distinguentis: »*I.* Fideiussor est acceptus in subsidium vel indemnitatem. Tunc fideiussor conveniri non potest, si principalis debitor est non solvendo, et culpa a creditore non conventus est, praeprimis, si creditor fuit requisitus a fideiussore, ut debitorem conveniat. *II.* Fideiussor non est acceptus in subsidium, sed simpliciter. Tunc indistincte tenetur ex iure ante Nov. IV., modo creditor sit in culpa, vel negligentia conveniendi, modo non, quia sua obligatio est simplex et absoluta. Sed ex Nov. IV. cap. 1. hodie sic distinguendum est: 1) Renunciavit fideiussor exceptioni ordinis. Tunc valet ius commune antiquum. 2) Non renunciavit. Tunc liberatur, si creditor a fideiussore expresse requisitus est, ut principalem debitorem conveniat. Si vero

1) Commentar. ad Pandect. L. 36. T. I. §. 38.

2) Commentariorum variarumque resolut. iur. civilis et regii libri tres. T. II. cap. 13. nrd. 9.

Digitized by Google

non sic requisiverit, non liberatur; quia sicut convento prius fideiussore in iudicio requiritur, quod ab eo petatur excussio in bonis principalis debitoris, ita a fortiori in nostro casu, si creditor differt petere a principali debitore, requiritur saltem illa petitio et requisitio fideiussoris.« Quam posteriorem tantum distinctionem *J. H. de Berger*[1]) suam fecit.

Denique *J. L. Schmid*[2]) ita distinguendo rem absolvi putat: »*I.* Non denunciavit creditori, debitorem facultatibus labi. Tunc fideiussor tenetur, quia creditor qua talis ad agendum contra debitorem non obligatus est. *II.* Denunciavit. 1) Beneficio ordinis non renunciavit. Tunc opposita exceptione doli fideiussor liberatur, quia dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest, et quia in hoc casu fideiussor tantum obligatur, si creditor debitum a reo exigere non possit. 2) Renunciavit. *a.* Creditor aperte fuit in dolo. Tunc fideiussor liberatur v. g., si fideiussor creditorem de exigendo debito ita admonuit, ut expresse dixerit, quod ulterius teneri nolit, si creditor debitorem prodigum non conveniat, et eum facultatibus labi patiatur. *b.* Non aperte fuit in dolo. Tunc fideiussor exceptione doli liberari non potest, quia correus debendi est, et principaliter tenetur, ita ut creditor debitorem principalem excutere necesse non habeat.«

Sed iam expositis diversis interpretum opinionibus, quatenus eorum copia nobis suppetebat, ad id, quod nobis in hoc argumento verum, aut veritati proxime accedere videtur, transeamus. Uti in

---

1) Oeconom. iur. L. III. T. III. §. XVII. nota 3.

2) Lib. singular. de fideiuss. plane non obligato. Sect. II. §. 220—223.

scriptis glossatorum saepissime sententias sibi bene cohaerentes invenimus, ita etiam in hoc argumento concedi debet, ratione iuris Digestorum et Codicis habita, veram esse eorum distinctionem supra memoratam. Primo enim intuitu statim apparet, ex principiis iurisprudentiae mediae fideiussores simplices in numerum correorum debendi aequali iure obligatorum relatos fuisse. Hoc si acceperis, fideiussori sane simpliciter obligato iniuriam fieri dici non potest, si debitore principali non excusso a creditore conveniatur, quoniam in argumento de correis debendi, ut creditor unum vel alterum correorum pro lubitu convenire possit, aperti iuris est; ideoque extra omnem dubitationis aleam positum est, ut actionem contra unum correum iam motam omittens, alium aggredi [1]), et tandem, ut unum pacto dimittere, et tamen alterum convenire queat [2]). Quibus suppositis, creditori, si contra debitorem principalem non egit, et hic facultatibus lapsus est, culpa obiici non potest. Nam nemini iniuriam facit, qui iure suo utitur [3]). Inde re sua quisque abuti potest, ita ut etiam bonae fidei possessor, qui interim loco domini habetur, ob culpam ante litis contestationem commissam omnino non teneatur [4]). Bene igitur summus *Cuiacius* [5]) dicit: »Cur enim non liceat, liberalem esse erga unum (correum

---

1) L. 3. de his qui effud. (9. 3.). L. 47. §. 3. de pecul. (15. 1.). L. 51. §. 4. de evict. (21. 2.). L. 28. C. de fideiuss. (8. 41.).

2) L. 24. L. 25. de pact. (14. 2.).

3) L. 151. L. 155. §. 1. de R. et J. (50. 17.).

4) L. 45. de R. V. (6. 1.).

5) Comment. ad L. 51. Dig. Salvii Juliani in fine (opp. T. VI. p. 347.).

Digitized by Google

debendi), illiberalem erga alterum? Liberalitas, vel affectio propensior in unum, quam in alterum nemini vitio dari debet. Liberalitas non est vitium aut culpa.«

Quae omnia etiam verbis disertis comprobantur iisdem ipsis legibus, quae supra pag. 6. et 7. adscriptae sunt, et in quibus aperte dictum est, creditorem vel a fideiussore admonitum, ut debitorem ad solvendum compelleret, nihilosecius a fideiussore doli mali exceptione summoveri non posse, neque ad pignora distrahenda cogi creditorem, si iis omissis velit convenire fideiussorem; quare etiam in constitutionibus ibidem appositis libera creditori permittitur electio.

Neque prorsus huic glossatorum sententiae obstat L. 95. §. 11. de solutt. (46. 3.):

> *Si creditor, a debitore petens, culpa sua causa ceciderit, prope est, ut actione mandati nihil a mandatore consequi queat, quum ipsius vitio acciderit, ne mandatori possit actionibus cedere.*

quam nonnulli in eos convertere voluerunt. Nam in huius legis casu, creditore sua ipsius culpa causam perdente, debitum ipsum principale exstinguebatur, et ideo obligatio mandatoris accessoria una cum principali perimi debebat, quia notissimi iuris est, sublata obligatione principali etiam accessoria tolli [1]), et sententiam absolutoriam, licet iniustam, pro veritate haberi [2]). Quo fit, ut sententia absolutoria in argumento de correis debendi etiam pro

1) L. 21. §. 2. de solut. (46. 1.). L. 43. L. 93. §. 2. de fideiuss. (46. 3.).

2) L. 25. de statu hom. (1. 5.).

solutione habeatur [1]). Sed longe alia res est, si debitor decoxit. Nam debitum principale per concursum, ut vocant, formalem nequaquam deletur, quare creditor post concursum debitorem convenire potest, licet hic, si beneficio cessionis bonorum gavisus sit, denuo conventus beneficio competentiae uti possit [2]).

Quod vero ad indemnitatis fideiussorem attinet, itidem glossatorum principia rei naturae, principiis iuris generalibus, et specialibus legum praeceptis consentanea sunt. Si enim fideiussor solummodo ea sub conditione fidem suam interponit, ut creditor primo loco debitorem principalem conveniat, ex ipsis conventionis verbis prono alveo fluit, creditorem conveniendo iusto modo debitorem principalem promissione sua stare debere. Proinde de fideiussoris culpa sermo esse non potest, si ipse creditor negligens fuit, quia principaliter ipsi creditori diligentia iniuncta est. Quod, re penitus inspecta, etiam aliis argumentis affirmatur. Nam fideiussor in regula [3]) gratis intercedit, et revera donator est, summo periculo subiectus, quia debitores principales saepissime mendaces, eversores, et ingrati, gloriam solvendi fideiussoribus relinquunt; quare *Ausonius* [4]) optime dixit: »Sponde, est noxia tibi«, et *Quintilianus* [5]): »Miserabile est sponsoris periculum«; ex quo fonte etiam haud dubie fluxit

1) *Lauterbach*, colleg. L. 45. Tit. 2. §. 29.

2) L. 6. 7. de cess. bonor. (42. 3.).

3) Exceptiones quidem occurrere possunt (L. 2. 23. C. ad SCtum Vellei. (4. 29.), sed nil sunt, nisi exceptiones, quibus principia non mutantur.

4) Ludus septem sapientum. Thales v. 17.

5) Quem iam *Hugo Grotius* de iure belli et pacis L. 3. c. 13. §. 4. allegavit.

Germanorum proverbium: Burgen soll man würgen [1]), et aperte integrum SCtum Velleianum. Iam vero ex grati animi principiis per se sequitur (quod etiam legibus Romanis expresse sancitum est [2]), contra donatores, eosque, qui iis aequiparandi sunt, culpae querelam moveri non posse. Et licet ponamus, culpam fideiussoris cum creditoris culpa concurrere posse, tamen in fideiussoris commodum dicendum est, eius negligentiam creditoris culpa esse minorem, quoniam is, qui amicitia et misericordia motus, grave intercessionis officium subit, tacendo melius officio suo fungitur, quam creditor, qui in regula debitori principali gratiae officio non obligatus, stricto iure, et salvo honore ius suum pro arbitrio persequi potest. Gravior autem culpa absorbet minorem, et levior culpa contra graviorem non parit exceptionem [3]). Qua de causa etiam *Justinianus* in Novella IV. bene dicit, fideiussoribus et istiusmodi hominibus auxilio venire, aequum esse. Tandem omnia, si quae remanere possent, dubia evanescunt, si legem 41. de fideiuss., supra pag. 4. ipsis verbis allatam, conferre velis. Nam in hac lege, culpa a creditore commissa, fideiussor in genere liberatur, neque ulla culpae fideiussoris concurrentis et creditorem liberantis mentio iniecta est. Quare dicendum esse videtur: Si creditor in culpa erat, indemnitatis fideiussor liberatur nulla eius culpae habita ratione. Sin vero de creditoris culpa demonstrari non potest, tunc a fideiussoris culpa

---

1) *Besold*, Thesaur. pract. sub voce Burgen.

2) L. 1. §. 1. si mensor. (11. 6.). L. 18. §. 3. de donatt. (39. 5.). L. 41. §. 1. de re iudic. (42. 1.).

3) L. 9. §. 4. ad L. Aquil. (9. 2.). L. 45. §. 1. de act. E. V. (19. 1.).

Digitized by Google

nil pendet, quia, creditore non peccante, semper tenetur fideiussor, licet negligens non fuerit.

Thomasius quidem, uti supra pag. 10. diximus, in alia omnia abit; sed facili negotio eius argumenta refelli possunt. Etenim L. si fideiuss. creditori 62. (al. 63.) de fideiuss. (46. 1.) ab eo invocata, collatis aliis legibus supra (pag. 6. et 7.) verbotenus citatis, nonnisi de fideiussore simplici intelligi potest, et in ceteris legibus, quas socias sibi adiunxit [1]), *facultas* quidem, ut ita dicam, sibi ipsi opitulandi fideiussori *conceditur*, sed minime gentium ei imponitur obligatio, damnum infectum, quod propter creditoris negligentiam minatur, propria diligentia avertendi. Quae vero *Thomasius* ex rei natura bene derivasse sibi videtur, ad inania, quod pace viri, ceteroquin incomparabilis, dixerim, redeunt. Quis enim unquam audivit, indemnitatis fideiussorem sic se obligare solere: »Ipse curabo, ut solutio a debitore aut a me fiat, et in omnem casum damnum sarciendum meis rationibus inferam?« Contra talis fideiussoris nulla alia esse solet promissio atque ea, quae ex ipsa L. 41. (al. 42.) cit. elici potest: »Solvam quod *tu* a debitore consequi non potueris.« Itaque primum omnia pendent a facto creditoris, qui

1) L. 38. §. 1. mand. (17. 1.): »Non absimilis illa quae frequentissime agitari solet: fideiussor, an et prius, quam solvat, agere possit, ut liberetur (nec enim semper exspectandum est, ut solvat aut iudicio accepto condemnetur), si diu in solutione reus cessavit, aut certe bona sua dissipavit? praesertim si domi pecuniam fideiussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conveniat.« Cap. ult. X. de fideiuss. (3. 22.). »Eum, pro quo te fideiussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua coepit, seu super hoc condemnatus fuisti, iure poteris convenire, ut te a fideiussione debeat liberare.«

Digitized by Google

ob eandem hanc causam integrum damnum suum facit, quod, diligentia creditoris vigilantis adhibita, locum non habuisset. In omnem vero eventum postremo loco dici potest, per solam L. 41. cit. *Thomasii* principia ad nihilum redigi posse.

Sed cum laude, uti hactenus factum, sententia eorum approbata, qui in casu negligentiae creditoris non quidem fideiussorem simplicem, sed fideiussorem indemnitatis ab actione creditoris liberari contendunt, alia iam quaestio, Novella quarta inspecta, exoritur: Quare fruge inventa glandibus vesci velimus? Relicit enim *Justinianus* in hac constitutione rigorem iuris medii ad fideiussores simplices, restituit in genere legem antiquam, cuius tenore fideiussor solummodo in subsidium conveniri poterat; et inde ICti, *Voetii* vestigia prementes, gravissimis argumentis subniti videntur, si etiam ratione quaestionis, cui exponendae hanc dissertationem dicavimus, ius medium mutatum esse contendunt.

Ut clarissime omnia lectorum oculis subiiciantur, verba integra capitis primi Novellae quartae secundum versionem vulgatam, uti in tritis editionibus occurrunt, et in latere versionem textus genuini Graeci, quam *Hombergkio* debemus, apponam, praesertim cum a singulis verbis, et ab interpunctione bene ordinata in hoc argumento unum alterumve pendeat, quod negligere non debemus.

Novella IV. *Versio Vulgata.*	
Praefatio.	*Versio Hombergkiana.*
Legem antiquam positam quidem olim, usu vero nescimus quemadmo-	Praefatio. Antiquam legem olim quidem latam, usu vero nes-

dum non approbatam, per eamque vero semper exquisitas atque necessarias apparentem, rursus revocare, et ad rempublicam reducere, bene se habere putavimus, non simpliciter eam, sicut iacebat, ponentes: (erat enim quaedam eius pars omnino non discreta), sed cum competenti et Deo placito distribuentes augmento.

cimus qua ratione non servatam, quae tamen ob res semper in quaestionem venientes illi necessaria videtur, revocare et in rempublicam reducere pulchrum duximus, non ita simpliciter, ut scripta erat, eam ferentes (erat enim quaedam illius pars plane non distincta), sed convenienté atque pia accessione distinguentes.

Cap. I.

Ut creditores primo loco conveniant principalem.

Si quis igitur crediderit, et fideiussorem aut mandatorem aut sponsorem acceperit: is non primum adversus mandatorem, aut fideiussorem aut sponsorem accedat: neque negligens, debitoris intercessoribus molestus sit: sed veniat primum ad eum, qui aurum accepit debitumque contraxit: et si quidem inde receperit, ab aliis abstineat: quid enim ei in extraneis erit, a debitore completo? Si vero non valuerit a debitore recipere aut in partem aut in totum: secundum quod ab eo non potuerit recipere, secundum hoc ad fideiussorem aut sponsorem aut mandatorem veniat, et ab illo quod reliquum est, sumat: et si quidem praesentes ei consistant ambo, et principalis et

Cap. I. Si quis igitur mutuum dederit, et fideiussorem, aut mandatorem, aut constitutae pecuniae reum acceperit, ille non statim ab initio mandatorem, fideiussorem aut constituentem conveniat, neque debitore neglecto intercessoribus molestus sit, sed primum eum qui pecuniam accepit et debitum contraxit, conveniat: et si quidem ab illis acceperit, a reliquis abstineat: quid enim illi cum extraneis rei est, cui debitor satisfecit? Si vero a debitore nec partem nec solidum consequi poterit, quantum ab eo recipere non potuit, pro ea parte cum fideiussore, vel constituente vel mandatore experiatur, et ab eo reliquum consequatur. Atque haec

intercessor, et aut mandator, aut sponsor: hoc omni servetur modo. Si vero intercessor, aut mandator, aut qui sponsioni se subiecerit, adsit: principalem vero abesse contigerit, acerbum est, creditorem mittere alio, cum possit mox intercessorem, aut mandatorem aut sponsorem exigere. Sed et hoc quidem curandum est a nobis possibili modo: non enim erat quoddam hic antiquae legi datum pro sanatione remedium: quamvis Papinianus maximus fuerit, qui hoc primitus introduxit. Probet igitur intercessorem, aut sponsorem aut mandatorem: et causae praesidens iudex det tempus intercessori (idem est dicere, sponsori et mandatori) volenti principalem deducere: quatenus ille prius sustineat conventionem: et sic ipse in ultimum subsidium servetur: sitque solatio intercessori (aut sponsori et mandatori), in hoc quoque iudex: fideiussoribus enim et talibus prodesse sanctum est, ut illo deducto, interim conventione liberentur, qui pro eo in molestia fuerunt. Si vero tempus in hoc indultum excesserit (convenit namque etiam tempus definire iudicantem), tunc fideiussor aut mandator aut sponsor exequatur litem et debitum exigatur contra eum, pro quo fideiussit, aut pro quo mandatum scripsit aut sponsi-

quidem, si utrique, tam principalis debitor quam fideiussor aut mandator, aut constitutae pecuniae reus praesentes sint, omni modo serventur. Si vero fideiussor aut mandator, aut qui constitutum suscepit, quidem adsit, principalem autem debitorem abesse contingat, durum est creditorem alio mittere, cum a fideiussore aut mandatore aut constituente exigere possit. Sed et huic rei, quoad ejus fieri poterit, medendum nobis est. Neque enim antiqua lex definitam quandam sanandi methodum habuit, quamvis magnus ille Papinianus haec primus docuerit. Demonstret igitur, fideiussorem, aut constituentem aut mandatorem: et iudex, qui causae praeest, fideiussori nec non constituenti et mandatori, principalem debitorem deducere volentibus tempus det, ut ille primus actionem sustineat, atque ita hi in ultimum serventur subsidium. In eo quoque fideiussori, sponsori, mandatori iudex succurrat (fideiussoribus enim et istiusmodi hominibus auxilio venire aequum est), ut ille productus actione interim eos liberet, qui illius causa molestia afficiuntur. Quod si tempus ad hoc constitutum praeterierit, (iudex enim et tempus definire debet) tum aut fideiussor aut mandator aut constituens litem sus-

Digitized by Google

eum suscepit: a creditoribus acti-onibus sibi cessis.	cipiat, et debitum solvat actionibus contra eum, pro quo fideiussit, vel mandatum scripsit, vel constituit, a creditore sibi cessis.

Ecce legem ipsam, quae haud docet, quod multi opinionibus, male conceptis, ei intulere, nimirum *Justinianum* ius quodammodo perfectum, misericordiae causa limitatione quadam exornasse. Nam si oculis sanis fides habenda est, verba Novellae nil aliud produnt, nisi imperatoris praeceptum: legem veterem, naturae fideiussionis convenientem, contra iuris medii rigorem restituendam esse, exceptione tantum in casu absentiae debitoris principalis admittenda. Quae igitur ex doctrina iuris Digestorum et Codicis in eo solo casu locum habebant, si indemnitatis fideiussor intercesserat, eadem, casu absentiae excepto, ex nova lege in dubio semper valent, et exceptioni iuris medii omnimodo aequiparari debent, quia *legis* virtus semper eadem, adeoque maior saepe est, quam pacti conventi [1]). Si igitur fideiussor simplex, de quo in Nov. IV. tantum sermo est [2]), iuribus in lege hac novissima ei tributis non renunciat [3]), ex rei natura, a *Justiniano*

1) Confer v. c. principia pignoris legalis, conventionali pignori oppositi; successionem ab intestato, compositam pactis hereditariis; et tandem pactum de non alienando, collato legis, aut, quod idem est, testamenti praecepto, ne res in alium transferatur.

2) Nam Novella de iis fideiussoribus non agit, qui iam iure proxime ante Justinianum valente, plena securitate gaudebant.

3) Si renunciavit, ad principia iuris medii eum reiectum esse, per se patet. De quaestione saepe agitata, an *indemnitatis* fideiussor exceptioni excussionis renunciare possit? dubia mihi remanent gravissima. Dici potest, hanc renunciationem esse contradictionem in adiecto, itaque per se inanem, quod multi probant v. g. *Carpzov* Decis. 14. *Hunnius*, Resolutt. D. 38. T. 5.

Digitized by Google

agnita, in subsidium conveniri debet; et inde creditor exceptione repelli potest, qui negligens, quae ab eo ex lege erant praeparanda, in fideiussoris perniciem omisit.

Magis magisque haec omnia extricari possunt, allatis et sub censuram vocatis obiectionibus, quibus *F. a Bothmer* [1]), vir doctissimus, nuper admodum vera, quae nobis videntur, principia subvertere conatus est. Quae opponit, in summa ad haec redeunt: Fideiussor creditoris in conveniendo debitore mora non liberatur. Nam obligatio ad praestandam diligentiam nulla existit generalis, quae etiam extra contractum locum habeat (quod a legibus etiam comprobatur, culpae in non faciendo non nisi ratione contractuum et quasi contractuum mentionem facientibus) et diligentia potius solummodo ratione contractus, et quidem eius solius obiecti, ad quod contractus spectat, postulari potest. Porro in L. 91. de V. O. (45. 1.) in verborum obligatione ad dandum inita, promittentem ob culpam negativam commissam non teneri, sancitum est; neque ulla existit actio, qua damni, culpa in non faciendo a tertio illati, supplementum exigi possit. Quibus principiis, ad fideiussionem adhibitis, diligentiam creditoris hic postulari non posse apparet, quia fideiussio

---

Q. 40. *Meier*, Colleg. Argentorat. L. 46. T. 1. §. 18. *Stryk*, U. M. P. L. 46. T. 1. §. 20. *C. Thomasius*, de fideiussore indemnit. cap. 6. §. 3. *Müller* ad *Leyser* Observat. 868. Sed eodem iure haud scio an cum *Leysero* Spec. 523. m. 12. dici possit: Renunciatio haec, deliberato animo facta, priorem contractum mutat. Et profecto in favorem huius sententiae allegari potest lex inter leges Pandectarum damnatas celeberrima, nimirum L. Lecta. 40. de R. C. (12. 1.).

1) *S. P. Gans*, Zeitschrift für Civil- und Criminalrechtspflege im Königreich Hannover. B. 1. H. 1. p. 15—25.

non est contractus bilateralis, sed unilateralis, in quo solus obligatur fideiussor. Quae sententia etiam confirmatur in L. 62. de fideiuss. et mandat. (46. 1.), neque ei obstat Nov. IV. c. 1. Nam uti iam capitis inscriptio: »Ut creditores conveniant primo loco principalem« demonstrat, ea non de quaestione nostra, sed de solo excussionis beneficio agit; quare etiam in capitis loco: »neque negligens debitoris intercessoribus molestus sit,« ut ex omni capitis argumento et contextu apparet, comma, quo multi verba »negligens« et »debitoris« disiungunt, delendum, et sic ponendum esse videtur: »neque negligens debitoris, intercessoribus molestus sit.« Addit in fine, fideiussorem etiam misericordiam non mereri, quia secundum § 2. I. quib. mod. re contrah. oblig. (3. 14.) dici possit: Suae facilitati imputare debet, qui in suis rebus desidioso homini se obligavit.

Sed quae sequuntur, contra haec argumenta sufficere videntur.

1) In quaestione nostra non quaerimus de principiis de actionibus, quae eum in finem institui possunt, ut quis positive bene agat, neque hic quidquam pendet a principiis contractuum, quos unilaterales vocant. Cardo potius rei unice in regula notissima vertitur, ut, conditione debito modo non impleta, creditor adversus debitorem agere non possit; quae regula procul dubio ubique valet, sive de faciendo, aut non faciendo, sive de contractu unilaterali, aut bilaterali sermo sit. Iam vero, si fideiussor ea sola lege se obstrinxit, ut creditor primo loco debitorem principalem excutiat, eo ipso per negligentiam suam creditor ab actione contra fideiussorem exclusus est, et si, negligentia commissa, contra eum agit, male ius, quasi purum persequitur, quod ei conditionatum solummodo concessum est. Quae conditio a fideiussore indemnitatis per ipsam conventionem

apponitur; in fideiussione simplici vero per *legem* sancitum est, creditorem ante omnes debitorem principalem convenire debere, quo legis praecepto non observato, conditionem regressus contra fideiussorem non existere optimo iure affirmaveris.

2) Quod attinet ad capitis primi Novellae quartae inscriptionem, ea non est genuina, sed medio aevo, ut omnes capitum Novellarum inscriptiones, addita [1]. Inde haec inscriptio sententiam nostram nec infringit nec confirmat.

3) Nullus negaverim in editionibus nostris post verba: »neque negligens« signum commatis male positum esse, quum potius inter verba: »debitoris intercessoribus« intercalandum sit, ut iam *C. M. J. Guerdan* [2]), nescio quo duce, bene coniicit. Nam in textu graeco [3]) sic legitur, uti *Hombergkius* bene vertit: »neque debitore neglecto«; et verba »neque negligens debitoris« ex stili puri praeceptis eundem sensum praebent, ac si dixisses: si debitorem negligat, non conveniat, omittat [4]).

4) Concesso, quod ex modo dictis concedendum est, verbis Nov. IV. c. 1. »neque negligens debitoris intercessoribus molestus sit« creditori *obligationem* impositam non esse, tamen ex aliis eiusdem

---

1) *Hombergkius* in praefat. Novell. in fine. *Biener,* Gesch. der Novellen p. 57 — 62; 111 — 114.

2) Dissertat. pag. 8. nota 1. cit.

3) — — —, ὄντος μὴ τὴν πρώτην εὐθὺς κατὰ τοῦ μανδάτωρος ἢ τοῦ ἐγγυησαμένου ἢ ἀντιφωνήσαντος χωρείτω, μηδὲ ἀμελήσας τοῦ δανεισαμένου, τοὺς παρωνθήμως ἐνοχλείτω.

4) *F. Sanctii*, Minerv. III. 15. 13. *Forcellini* Lexic. s. v. negligens.

Novellae verbis probari potest, quod probandum nobis sumsimus. Nam diserte *Justinianus* ait:

»non primum adversus fideiussorem *accedat*«

quod sane legis *praeceptum* est. Ait porro eodem modo

»sed *veniat* primum ad eum, qui aurum accepit«

et brevi post additum est, creditorem ad fideiussorem venire posse

»si non *valuerit* a debitore recipere aut in partem aut in totum«

ubi illud *non valuit* aperte intelligi nequit, si creditor, dum suum servare agendo poterat, negligentiam diligentiae praeposuit. Dicendum igitur est, debitam creditoris in exigendo industriam ut conditionem lege positam esse, qua demum impleta contra fideiussorem actio locum habeat.

5) In legibus quidem interdum diligentiae summae praestatio ea de causa remittitur, quia laesus electionem suae facilitati imputare debeat [1]). Sed legum Romanarum *rationes* haud raro vitiis laborant [2]), et luce clarius est, universas paene regulas de gradibus culpae et diligentiae praestatione corruere, si ratio modo memorata vera sit. Nam tunc cuivis laeso obiici posset: cur negligentem elegisti? et omnia ad praestandam meram diligentiam, quam suis rebus quis praestare solet, redire deberent. Sana ratione duce potius dicendum est: conditionem tertii in regula perscrutari non possumus, immo diligens eius perscrutatio in legibus iure vitiosa et impossibilis habetur [3]). Electo igitur a me homine, ceterum negligente, id potius

1) §. ult. J. pro socio (3. 26.). L. 72. pr. D. eod. (17. 2.).

2) Optime de hoc argumento egit *B. J. de Fremery*, de rationibus veterum ICtorum. Lugd. Bat. 1801.

3) L. 29. pr. mand. (17. 1.). L. 6. de iur. ign. (22. 6.). L. 19. in f. de novat. (46. 2.).

Digitized by Google

dici debet, eligentem ipsum non esse in reatu, sed vitio dari debere electo, quod suae ipsius conditionis gnarus, negotio se immiscuerit, quod evitare potuisset et debuisset.

Coronidis loco succincte afferam, quae contra *Gomezii*, *Bergeri* et *Schmidii* sententias, supra (pag. 11. et 12.) relatas, monenda esse videntur.

Quod ad *Gomezium* attinet, ex antea dictis apparet, eius principia ratione fideiussoris indemnitatis rei naturae et legum praeceptis omnino congruere. Adiicit quidem: »*praeprimis*, si creditor fuit requisitus a fideiussore.« Sed hanc requisitionem nullatenus conditionis loco, neque inde necessariam, sed solummodo utilem habet. Quoad fideiussorem vero simplicem male ait, creditorem a fideiussore requiri debere, ut debitorem principalem conveniat. Ubinam enim loci in legibus scriptum est, fideiussoris partes esse, ut creditori calcaria admoveat, et segnitiae illius medelam afferat? Primo aspectu profecto apparet, ex requisitione, a fideiussore omissa, creditorem negligentem salvo pudore exceptionem repetere non posse. Nam haec exceptio his verbis concipienda esset: »Segnitia quidem, contra officia, laborabam: sed quare tu diligentiam non adhibuisti, ut pigritia, mihi commoda, me liberares?« Contra quam exceptionem, ni omnia me fallunt, pleno iure fideiussor regerere posset: »Si personarum, obligationis nexu cohaerentium, una alteram excitare debet, qua de causa tu me potius ad excitandum non excitavisti?« Refugium quidem vir acutissimus quaerit in Nov. IV., *beneficii excussionis*, quod dicitur, ratione habita. Sed fingit ea, quorum ansam leges non dedere, et quibus manifeste Nov. IV. refragatur. Nam ne verbulo quidem *Justinianus* indicat, principium, stricto aut communi iure contra fideiussorem

militans, se quasi verum agnoscere, gratia tamen quadam aut beneficio extra ordinem mitigare velle. Expresse enim legem se antiquam, bene conceptam, restituere ait, et debitoris principalis ante omnes conveniendi necessitatem repetita vice creditori imponit. Quare *Cuiacius*[1]) limitationes in casu absentiae debitoris principalis omittens, optime dixit: »nihil opus est hodie (ex Nov. IV.) pacto caveri, ut fideiussor in id tantum teneatur, quanto minus a debitore consequi potuerit. Nam *ipso iure* ita res se habet.« Obmoveri quidem ab uno alteroque forsan possent verba consueta: *beneficium* ordinis, *beneficium* excussionis. Sed ex terminologia interpretum recentioris aevi haudquaquam legibus ipsis vis inferenda est; quare etiam nostris temporibus merito studium eorum approbatum est, qui toti in eo erant, ut nos a vinculis verborum liberarent, quorum vestigium in fontibus iuris non occurrit, et quae, pravissime saepius concepta, non ad locupletandam, sed potius ad depravandam iuris disciplinam inventa esse videntur. Sed ulterius progredi possumus. Ut enim concedamus, *Justinianum* in ipsa Novella IV. de eo, quod ope exceptionis vocatur, verba fecisse, quid inde sequeretur? Nil sane, quod adversariis auxilium ferre posset. Nam longe ante *Justinianum*, *Julio Paulo* teste, differentia, ut ita dicam, practica, inter tuitionem ipso iure, et ope exceptionis sublata erat[2]), et in iure Justinianeo, in quo iudices, formulae praetoris adstricti, omnino evanuere, de distinctione illa, veterum iudiciorum ordini (saltem ante tempora iuris aequi, consuetudine recepti atque firmati) conveniente, ad effectus civiles omnino sermo esse non poterat.

---

1) Exposit. Novell. ad Nov. IV. (opp. T. II. p. 1035.)

2) L. 40. de R. C. (12. 1.). L. 112. de R. J. (50. 17.).

Digitized by Google

Quod vero ad *Schmidii* distinctiones (pag. 12.) attinet, propositae quidem sunt quasi omnino verae, sed quo iure, non video. Nam si creditor qua talis ad agendum contra debitorem principalem non est *obligatus*, quonam fit praetexto, ut tunc mere arbitraria fideiussoris voluntate obligatio enascatur, in re non fundata? Deit omnino errasse videtur auctor aestumatissimus, quod in casu adeo renunciationis exceptionem facit, dolo aperte a creditore commisso, v. c. »si fideiussor eum admonuerit et expresse dixerit, se ulterius teneri non velle, si creditor debitorem non conveniat, et eum facultatibus labi patiatur.« Nam fideiussor beneficio, quod vocant, excussionis, renuncians, eo ipso, ob supra dicta, in ordinem correorum, aequali iure obligatorum, transit, et inde ius eligendi, bene acquisitum, nec obloquendo, nec minas iactando, creditori auferre potest.

Haec hactenus. Proposui fortasse, quae ubivis tironem prodant, qualem me esse, ex ipso huius opusculi titulo colligi potest; sed benevolentiae lectorum confido, qui, qua erunt humanitate, hoc primum iuvenis, temporis angustiis oppressi, periculum summa severitate non iudicabunt. Minime enim id mihi sumo, ut iurisprudentiam penitus me nosse existimem, sed totus in eo sum, ut maiorum laude aliquando haud indignus reperiar.

Digitized by Google

SACRA NATALITIA

PRINCIPIS BEATISSIMAE MEMORIAE

CAROLI FRIDERICI

BADARUM MAGNI DUCIS REL.

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCXLV

PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

AB

ACADEMIA HEIDELBERGENSI

PIE CELEBRATA

SIMULQUE

PRAEMIA COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNCIAT

CAROL. ADOLPH. A VANGEROW

J. U. D. MAGNO DUCI BAD. A CONSIL. AULIC. JURIS PROF. P. O.

ORD. LEON. ZARING. EQUES

ACADEMIAE H. T. PRORECTOR.

DISSERITUR DE FURTO CONCEPTO EX LEGE XII TABULARUM.

HEIDELBERGAE.

TYPIS JULIANI GROOS, BIBLIOPOLAE ACADEMIAE ET TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTISTIUS LABEO libro II. de XII tabulis „acria et severa judicia apud veteres de furtis habita esse“ scripsit,[1]) id quod luculenter singulis X virorum praeceptis probatur. Distinxere enim XII tabulae inter fures in ipso facinore perpetrando deprehensos, quos manifestos vocabant, et ceteros omnes. Furto nec manifesto poenam dupli irrogabant,[2]) quam etiam Praetor servavit et JUSTINIANUS retinuit.[3]) Qui vero furto manifesto deprehendebatur, jure occidi poterat,[4]) et qui occisus non esset, verberari addicique ei, cui

---

1) A. GELL. N. A. VII. 15.

2) CATO de re rust. in procem., GELL. XI. 18., GAJ. III. 190. — Ipsa XII. tabb. verba nobis servata sunt apud FEST. lib. XIII. v. NEC (ed. MÜLLER p. 162): „NEC conjunctionem Grammatici fere dicunt esse disjunctivam, ut nec legit, nec scribit, cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi possit, eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII est: „ast ei custos nec escit“ item: „*si adorat furto, quod nec manifestum erit.*“ — Adorare apud antiquos significasse agere, testis FESTUS est lib. I (ed. MÜLLER p. 19), indeque illa XII tabb. verba ita suppleri solent „*duplione luito*“ vel: „*duplione decidito.*“ Cf. DIRKSEN Uebersicht d. Vers. zur Krit. u. Herstell. d. Textes d. Zwölf-Taf. Fragm. Lips. 1824, p. 585 sqq

3) GAJ. III. 190, §. 5 J. de obl. quae ex del. (4, 1).

4) Furem nocturnum deprehensum lex XII tabb. omnimodo occidere permisit, cf. GELL. XI. 18, Collat. leg. Mos. et Rom. VII. 2. 3, CIC. pro Mil. 3, QUINCTIL. J. O. V. 14, SENECA controv. X. c. ult. Ipsa decemvirorum verba nobis servata sunt apud MACROB. Saturn. I. 4: „Non esse ab re puto hoc in loco id quoque admonere, quod decemviri in XII

Digitized by Google

furtum factum esset, decemviri jusserunt; servos item furti manifesti prehensos verberibus affici et e saxo praecipitari voluerunt.[5] Quae omnia luculentissime probantur ab A. GELLIO, qui deinde haec celeberrima verba subjungit:

„Ea quoque furta, quae per lancem liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt."

De notione autem hujus furti per lancem et licium concepti ingens inter viros doctos enata est discordia, haecque quaestio non inter Jurisconsultos modo, sed inter Grammaticos etiam et Theologos, ita est agitata, ut vix ullus antiqnitatis Romanae locus inveniri possit, qui tantam diversissimarum conjecturarum opinionumque molem procreasset.

Quod si, missis fontibus, quos nostra demum aetas nobis aperuit, eum controversiae nostrae statum consideramus, quem ante GAJUM feliciter inventum deprehendimus, unus olim erat locus ex omnibus, quotquot nobis supersunt, veterum scriptorum libris, qui notionem furti per lancem et licium concepti exhiberet. Unus autem ille locus est FESTI,[6] cujus haec sunt verba:

„Lance et licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiae aut virginum praesentiam.",

Multi sunt, iidemque celeberrimi viri, qui FESTI vestigia secuti hanc putarunt furti p. l. et l. c. indolem, quod, qui rem furtivam in aliena domo quae-

---

tabulis inusitate nox pro noctu dixerunt. Verba haec sunt: „*Si nox furtum factum sit, si im occisit, jure caesus esto.*" In quibus verbis id etiam notandum est, quod ab eo, quod est is, non eum casu accusativo, sed im dixerunt." Cf. Rubr. GELL. lib. VIII. c. 1. — Furem vero interdiu deprehensum non aliter lex XII tabularum occidere permisit, quam si telo se defenderit, cf. GELL. XI. 18, Coll. leg. Mos. et Rom. l. c., CIC. pro Mil. c. 3, l. 54 §. 2 de furt. — Quod GAJUS in l. 4 §. 1 ad leg. Aquil. affirmat, fures nocturnos et diurnos haud aliter impune occidi potuisse, nisi id cum clamore testificatum sit: id non ad legem XII tabularum, sed ad jus posterius spectare, hodie ab omnibus conceditur.

5) GELL. XI. 18. Cf. GAJ. III. 189.

6) Lib. X. v. Lance et licio (ed. MÜLLER p. 117).

Digitized by Google

rere velit, nudus intrare a X viris jubeatur, solo licio cinctus ad pudendas corporis partes detegendas, et lancem prae oculis tenens, ne nudus a feminis cognoscatur, vel, quod alii malunt, ne alienas feminas intueri possit. Quam opinionem v. g. amplectuntur Hotomannus,[7] Rævardus,[8] D. Gothofredus,[9] Scaliger,[10] Gravina,[11] Merula,[12] Averanius,[13] Heineccius,[14] Hoffmannus,[15] Cannegieterus[16] alii. Verum enim vero, si hanc sententiam multis probatam accuratius perpendimus, gravissimae nobis ultro sese offerunt difficultates. Et praemonendum quidem censeo, istum Festi locum, qui solus illis doctis facem praetulit, vel maxime esse suspectum. Quis enim est, qui ignoret, nec Verrii, nec Festi integros libros, elegantissimos certe et doctissimos ad nostram pervenisse aetatem, sed Festi epitomen tantummodo a Paulo quodam christiano pontifice Caroli Magni temporibus factam, qua Festum non solum miserrime mutilavit, sed saepius corrupit etiam, suaque qualiacunque adjecit.[17] In ipso autem nostro loco non Festi verba deprehendi, sed insulsam Pauli farinam, eo verosimilius est, quod id, quod venditat nobis

---

7) Fr. Hotomanni comm. in IV. libr. Inst. jur. civ. Secunda edit. Basil. 1569. p. 331. — Hotomannum in prima editione aliam defendisse sententiam, infra videbimus, cf. not. 35.

8) Jac. Rævardi ad leg. XII tabular. liber singularis. Brug. Flandr. 1563, cap. XXVI de furtis fol. 75 sq. Cf. Rævardi opp. omnia ed. sec. Francof. 1622. Tom. I. p. 112 sqq.

9) Ad §. 4 J. de obl. quae ex del.

10) Ad Fest. l. c.

11) Origines juris civil. lib. II. nr. XLIX. (Lips. 1708. p. 348 sqq.)

12) De legib. Romanor. cap. XVI. nr. 3. (Lugd. Batav. 1684. p. 185 sqq.)

13) Interpretat. jur. lib. II. c. 26. (ed. sec. Lugd. Batav. 1736. p. 298 sqq.)

14) Antiquitat. Rom. jurispr. illustrantium syntagma. lib. IV. tit. 1. §. 13 sqq.

15) Fragmenta XII tabb., tab. II. de furtis c. 3. (in Ejusd. histor. jur. Rom. Just. tom. II. p. 160 sqq.)

16) Observat. jur. Rom. libri IV. Lugd. Bat. 1772. lib. III. c. 20. p. 331 sqq.

17) Sic v. g. Paulum apostolum laudat v. Barbari (ed. Müller p. 86). Cf. generatim Müller Praef. p. XXXII.

tristis ille epitomator de lance lancisque usu, ita jejunum ridiculumque fere est, ut merito miremur, tot tantosque viros hocce commentum amplexos fuisse. Nam si is, qui ad rem furtivam quaerendam in alienam domum intrat, lancem ante oculos tenere jubetur, quomodo mehercules commode qnaerere et investigare potest, qui oculis uti prohibitus est? Et quod addit FESTUS, „propter matrum familiae aut virginum praesentiam" hoc fieri, intelligo quidem, uxorum aut puellarum oculis pudicis hujusmodi lancem vel aliud quid simile haud inepte obtrudi posse, ne nudum virum, solo licio cinctum, videant, sed quare nudus ille oculis velatis intrare necesse habeat, hoc me non intelligere, lubenter confiteor.

Quae quum ita sint, haud mirum esse potest, plerosque FESTI vel PAULI Diaconi auctoritate rejecta, censuisse, totam nostram quaestionem solis conjecturis dirimi posse, indeque ad alias novas sententias exstruendas confugisse. Quarum commode duae classes distingui possunt. Alii videlicet furtum per l. et l. conceptum genus furti esse existimant, quod insigni quodam modo sit commissum, ita ut furtum concipere idem sit ac furtum c o m m i t t e r e seu p e r p e t r a r e, et lanx liciumque instrumenta sint in ipso furando usitata. Alii vero censent, furtum per l. et l. conceptum adesse, si res furtiva solenni quodam et legitimo modo quaesita et inventa sit, ita ut furtum concipere idem sit, ac rem furtivam q u a e r e r e et i n v e n i r e, et lanx liciumque vel adminicula sint vel tamen symbola in quaerendo adhibita. 18) De singulis paucis agamus.

---

18) Singularem sententiam defendit ABR. WIELINGIUS in diatr. de furto per lanc. et lic. concepto. Marb. 1719 (iterum edita in FELLENB. jurispr. ant. tom. II. p. 111 sqq.). WIELINGIUS videlicet putat, furtum concipere idem esse ac rem furtivam v i n d i c a r e, et lancem liciumque ex vindicationis ritu ita fere explicare conatur, ut l a n x libram vel stateram, l i c i u m vero lictorem significet. Sed vir doctus nec illam verbi concipere significationem, nec lancis v. librae usum in vindicationibus ullo testimonio probare, nec etiam nobis persuadere potuit, licium apud antiquos tropice pro lictore usurpatum fuisse. Tota ista WIELINGII opinio ita contorta et absona est, ut quae diligentius refutetur, plane indigna videatur.

Digitized by Google

Et si primo quidem eos aggredimur, qui furtum concipere nil aliud esse, quam furtum committere contendunt, praemonendum erit, hos fere omnes somniasse magis et jocatos esse videri, quam serio, uti decet, nostram quaestionem tractasse. His accensendus est ALEXANDER AB ALEXANDRO,[19]) vir ceterum sagacissimus et non mediocris doctrinae; sed interdum bonus dormitat Homerus! Conjicit videlicet vir ille celeberrimus, fures, qui in alienas penetrassent aedes, saepius licium secum tulisse, quo res furtivas alligarent, et lancem prae oculis, ne innotescerent; et furtum hocce modo perpetratum furtum esse per lancem et licium conceptum, quod propter insignem furis industriam furto manifesto aequiparatum sit. ALEXANDRUM non immerito ridet MARCUS TATIUS ALPINUS,[20]) qui, se ipsi citius crediturum fuisse affirmat, si dixisset, furibus illis praesagam mali mentem fuisse, atque ideo hoc licium secum tulisse pro laqueo, quo suspendi possent, si forte deprehenderentur, ut eo mox rupto in pedes iterum reciderent! Maximopere vero dolendum est, TATIUM, qui sale nigro alios aggreditur, ipsum insulsissimam fere omnium nobis venditasse opinionem. Cum nempe legisset, sacrorum etiam ministros apud Romanos licio cinctos fuisse,[21]) lancesque in sacris quoque fuisse usurpatas,[22]) non dubitat

---

19) Geniales dies lib. VI. c. 10. — ALEXANDRO adstipulatur v. g. PARDULF. PRATEI. XII tabb. leges, l. 72 (in Otton. thes. tom. IV. p. 468).

20) M. TATII ALPINI literar. professoris ad WOLFGANG. HUNGERUM jur. professorem Epistola, in qua furt. per l. et l. conceptum quid sit, aliter quam hactenus explicatur. Basil. 1545 (recusa etiam a Joa. v. d. WATER ad calcem suae Instit. editionis, iterumque edita a MEERM. in thes. tom. VII. p. 799 sqq.).

21) V. g. OVID. lib. I. Fastor.

„Nominis esse potest succinctus causa minister,
„Hostia coelitibus quo feriente cadit."

LUCAN. lib. I. de bello civili:

„Impatiensque diu non grati victima sacri,
„Cornua succincti premerent quum torva ministri."

22) V. g. VIRGIL. lib. I. Aeneid.

„Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras."

vir ille bonus, furtum per l. et l. conceptum id fuisse, „quod religionis obtentu impostores, licio succincti quasi sacrificuli, et lancem ad colligendas stipes circumferentes, committerent, eaque furta, quia sacrilegio fuissent proxima, furtis manifestis aequiparata esse.“ Quid mehercules jejunius, quid magis absonum excogitari potest hocce TATII commento? [23]) Ejusdem fere farinae est conjectura KOCHII, Theologi Helmstadiensis, [24]) existimantis, lancem esse stateram s. libram, licium funiculum esse, quo Romani ad res mensurandas usi sint, furtum igitur per l. et l. conceptum illud furti genus esse, „quod falsa statera falsave mensura a mercatoribus commissum sit.“ Utinam hi viri docti, TATIUS KOCHIUS que priusquam de furto per l. et l. disserere constituissent, didicissent, quid furtum sit, et quomodo differat a ceteris criminibus! — Quid denique dicendum de nugis OLDENDORPII et CORASII? Quorum prior [25]) furtum per l. et l. conceptum tunc accipit, si fures, ut furtum tutius expedirent, non aperta facie domum intrassent, sed licio s. filo cincti, lancemque duobus foraminibus aptatam ante oculos tenentes, ut feminae forte obviae terrerentur fugerentque, Posterior [26]) autem, vir alias haud indoctus et de nostro jure civili optime meritus, fures saepius fraudes magicas adhibuisse autumat, indeque

---

lib. II. Georg.

„Hic laticis, qualem pateris libamus et auro
„Lancibus et pandis spirantia reddimus exta.“

23) Attamen nec Tatio defuit adsecla, cum BALDUINUS in prima leg. XII tabb. editione Basil. 1550 et in comm. ad §. 4. J. de obl. quae ex del., hanc ridiculam sententiam adoptaverit. Cf. tamen infra not. 35.

24) CORN. DIETR. KOCH, Theologi Helmstad. disqu. conjectural. qua lex LVIII (!!) duodecim tabular. de furto per l. et l. concepto explicatur, a depravatione Triboniani et ceteror. interpretum vindicatur, legib. divinis confertur. Helmst. 1721 (iterum edita in FELLENB. jurispr. ant. tom. II. p. 195 sqq.).

25) OLDENDORP. comm. ad leg. XII tabular.; in ejusdem var. lectionib. jur. p. 147 sqq.

26) CORAS. miscell. jur. civil. lib. VIII. c. 3 (in Ejusd. opp. Witeb. 1603. tom. II. p. 744). Eandem fere sententiam defendunt RHODIGIN. lib. X. antiqu. lect. c. 6. et FUNGER. in Etymolog. s. v. Licia.

Digitized by Google

furtum per l. et l. conceptum tunc adesse conjicit, si fures licio sese cinxerint ad perturbandas occurrentium mentes, [27]) nam ad magicas superstitiones licii olim magnam vim fuisse, ex Plinio et Virgilio [28]) inter omnes constare. — Taedet jamjam hujusmodi vanos ingenii lusus jejunaque commenta [29]) referre; ea refutare sanus non conabitur.

Omnes, quas hucusque congessi conjecturas, communi eodemque turpissimo laborant vitio, quod furti concepti notionem statuant, quae non solum ex fontibus nostris non erui potest, sed adeo fontibus apertissime contraria est. Quamvis etenim furtum per lancem et licium conceptum nullibi definiatur, unico illo Festi loco excepto, attamen furtum conceptum saepius in juris nostri fontibus memoratur, ejusque notio ibi tam dilucide et determinate exponitur, ut

---

27) Quod ad lancem adtinet, Corasius cum Alexandro putat, fures eam prae oculis tulisse, ne dignosci possint.

28) Corasius laudat Plin. hist. nat. lib. XXVIII. c. 4. et Virgil. Eclog. 8.

29) Huc etiam pertinet absurda opinio Marcilii (legis XII tabular. collecta et interpretamentum cap. 58; in Otton. thes. tom. IV. p. 279), qui novam plane viam ingressus, furtum per l. et l. conceptum acriter distinguit a furto per l. et l. quaesito. Quod ad furtum per l. et l. quaesitum adtinet, Marcilius cum Alciato (cf. infra not. 38) existimat, olim, qui rem furtivam quaerere voluerit, semper lancem ante oculos tenuisse, ne alienas mulieres intueri oculisque suis ipsarum pudicitiae aliquid detrahere queat, et praeterea lictores adhibuisse vel servos publicos, qui omnes licio cincti fuissent, quare per licium nil aliud significare, quam per servum publicum. Hoc ergo esse quaerere furtum per lancem et licium. Furtum per l. et l. conceptum autem tunc adesse, si quis quaerendi ritum imitatus lancem prae oculis tenens et servulo quodam suo quasi servo publico adhibito in alienas aedes quasi furti quaerendi causa intrasset, sed revera furti faciendi gratia hoc totum machinatus esset!! Marcilii sententiam suam etiam fecit Sim. v. Leuwen de orig. jur. p. 258. — Praeterea huc pertinet ridiculum Schwarzii commentum, qui (in monum. ingenior. tom. I. p. 5.) furtum per l. et l. conceptum tunc affuisse existimat, si quis haud ipse quidem furtum fecerit, sed furti fautor tamen eo factus fuerit, quod rem furtivam a fure emisset; nam hujusmodi fautorem lance i. e. libra vel statera uti, ad rei furtivae pretium inquirendum, et medium pretium pro re furtiva praestare, idque verbo licii exprimi, nam licium nil aliud esse atque licitationem! (Similem licii significationem deprehendimus apud Galvanum, vid. infra not. 39.)

Digitized by Google

sine egregia temeritate de eo dubitare non liceat. PAULUS in receptis sententiis [30]) sic loquitur:

„Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quaesitum et inventum sit,"

et paullo post [31]):

„Concepti is agere potest, qui rem concepit et invenit."

In GAJI Epitome [32]) haec occurrunt verba:

„Conceptum furtum dicitur, quum apud quem alterum res furtiva inveniatur."

Et ipse denique JUSTINIANUS [33]) noster dicit:

„Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita et inventa sit."

Quae omnia luce clarius probant, furtum concipere nil aliud esse nisi rem furtivam quaerere et invenire. Et cum furtum per lancem et licium conceptum haud plane aliud quid esse possit, quam furtum conceptum, sed potius proculdubio furtum conceptum genus sit, cujus species est furtum per lancem et licium conceptum: omnes istae conjecturae, quae alium verbi concipere supponunt significatum, ultro evanescunt.

Quae quum ita sese habeant, exinde ab omni tempore Jurisconsulti et Grammatici solidioris doctrinae, quibus fontes sanctiores fuere vanis jejunisque conjecturis, quamvis ingenii speciem prae se ferant, id semper pro certo affirmarunt, furti per l. et l. concepti notionem ex quaerendi ritu esse repetendam. [34]) Sed in hocce ritu definiendo admodum inter sese dissenserunt viri

---

30) Rec. sent. lib. II. tit. 31. §. 3.

31) L. c. §. 5.

32) Lib. II. tit. 10. §. 2.

33) §. 4. J. de obl. quae ex del. (4, 1). Cf. GAJ. comm. III. 186.

34) Sic etiam A. GELL. XVI. 10 loquitur de „furtorum quaestionibus cum lance et licio," et JUSTINIANUS in §. 4 J. de obl. quae ex del. (4, 1) verba facit de „requisitione

docti. Multis iis praetermissis, qui se totos Festo addixerunt, quorum praestantiores supra jam laudavi, hoc loco [35]) inprimis conjecturae duorum virorum celeberrimorum nominandae sunt, Pet. Pithoei scilicet et M. Aurelii Galvani, qui apud Petronium [36]) exemplum furti per l. et l. concepti deprehendisse opinantur, indeque novas hujusce furti notiones eliciunt. Petronius nimirum narrat, Ascylton quendam Gitona puerum amisisse eumque anxie quaerere, quam quaestionem hisce verbis depingit:

„Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat stabulum Praeco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia, facemque fumosam magis quam lucidam quassans, haec proclamavit: Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa XVI, crispus, mollis, formosus, nomine Giton. Si quis eum reddere aut commonstrare voluerit, accipiet numos mille. Nec longe a praecone Ascyltos stabat, amictus discoloria veste, atque in lance argentea indicium et fidem praeferebat.“

Exinde colligit Pithoeus, [37]) eum, qui furtum solenniter quaerere voluerit, semper viatorem vel lictorem adhibere debuisse, et propterea hujusmodi quaestionem vocitatam esse per licium; lictores nimirum licio cinctos, et secun-

---

rei furtivae secundum veterem observationem,“ quibus verbis Imperator proculdubio ad furtum per l. et l. conceptum spectat.

35) Haud nos moratur absurdissima Fr. Hotomanni conjectura (in comm. ad §. 4 J. de obl. quae ex del.), quippe qui furtum per l. et l. conceptum id fuisse suspicatur, quod sacerdotes licio amicti, et panem Aëtite lapide conditum in lance circumferentes deprehendissent; cum enim teste Dioscoride fures hujusmodi panem devorare non potuissent, facile per Aëtitis oblationem furta detegi potuisse!! Quae opinio insulsissima non displicet Fr. Balduino in secunda edit. comm. XII tabb. cap. 12 (in Heineccii jurispr. Rom. et Att. tom. I. p. 85). — Hotomannum postea aliam eandemque saniorem defendisse opinionem, jam supra vidimus; cf. not. 7.

36) Satiric. cap. 97. ed. Burm.

37) Advers. subsec. lib. I. c. 2. — Pithoei sententiam latius defendit Jo. van de Water observat. jur. Rom. libri III. Traj. Bat. 1713, lib. II. c. 1. p. 106 sqq.

Digitized by Google

dum quorundam veterum opinionem a licio appellatos fuisse, inter omnes constare.[38] Praeterea autem in hujusmodi quaestione moris fuisse, lancem secum ferre, qua reposita esset certa pecuniae summa, ut quis ea alliceretur ad rem furtivam indicandam, et hac ex causa quaestionem illam appellatam esse per lancem. Furtum igitur per lancem et licium conceptum ex Pithoei sententia illud est, „quod a lictore aut viatore licio praecincto, ipso aut alio quolibet comite indicium et fidem in lance praeferente, ex auctoritate magistratus perquisitum inventumque sit.“ — Quod ad lancem adtinet, cum Pithoeo plane consentit Galvanus,[39] qui tamen de licio longe diversam opinionem sequitur. Putat nimirum vir hic sagacissimus, licium fuisse ipsam illam pecuniam lanci impositam; nam licii nomen ad hoc pretium designandum appositissimum esse, exinde apparere, quod et liceri significet pretium offerre, et licitatio pretii oblationem. — Verum enim vero quis est, quin videat, nec hisce conjecturis, doctis sane et ingeniosis, nostram quaestionem ita esse absolutam, ut iis acquiescere possimus? Quis non stupet insignem Pithoei audaciam, qua nobis persuadere vult, vocem licium tropice usurpatam esse pro lictore, quod vix ferendum esset, si revera licium proprium aliquid lictorum fuisset, nunc vero plane intolerabile est, cum sciamus, licium illud neutiquam solis lictoribus usitatum, sed ejus usum etiam aliis frequentissimum, insignemque illam lictorum

---

38) Gell. N. A. lib. XII. c. 3: „Tiro Tullius M. Ciceronis libertus lictorem vel a limo vel a licio dictum scripsit; licio enim transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, praeministrabant, cincti erant.“ — Jam ante Pithoeum eandem fere sententiam quoad licii significationem amplexus est Andr. Alciat. in Parerg. lib. V. c. 8, qui tamen quoad lancem communem opinionem defendit, „quaerentem eam ante oculos tenuisse, ne qua ex parte matremfamilias mulieresve conspicari possit.“ Alciato se totum addixit Vitus Amerpachius in Epistola ad Andr. Alciat. de furto per l. et l. concepto. Basil. 1549 (iterum edita in Meerm. thes. tom. VII. p. 805 sqq.), quippe qui Alciati opinionem contra M. Tatium Alpinum (vid. supra not. 20) late defendit. — Marcilium etiam et Wielingium eandem licii significationem adoptasse, ex iis, quae supra in not. 18 et 29 monui, apparet.

39) De usufructu dissertationes variae. Cap. XV. nr. 6.

Digitized by Google

vestem non licium sed limum appellatam fuisse.[40] Haud secus autem ac Pithoei audaciam, etiam Galvani temeritatem, qua novam plane et inauditam vocis licii fingit significationem, cujus nec vola nec vestigium in ullo scriptore latino inveniri potest, respuendam esse, neminem profecto fugere potest. Et quod adtinet ad Petronii locum, equidem nullus dubito, quin satiricus ille veste sua discoloria et lance argentea revera quaestioni solenni per lancem et licium alludere voluerit. At profecto poeta nobis non depingere voluit antiquum illum ritum, qui suo aevo jam dudum in desuetudinem abierat; sed eo, quod antiquis illis et solennibus verbis usitatis fabulae suae ridiculae gravitatis speciem induerit, vim ejus comicam mirifice adauctam esse, quis est, quin sentiat? —

Hoc fere statu controversia famosissima de furto per l. et l. concepto ad nostram pervenit aetatem. Ante hos autem viginti quinque annos Gaji institutiones, quas turpissime mutilatas et corruptas antea solum breviarium Alaricianum, quod nominari solet, nobis exhibebat, ex Veronensi Codice summa et vere admirabili industria a Goeschenio descriptas et publici juris factas, novamque exinde lucem omnibus fere juris civilis partibus accensam esse, inter omnes constat. In hoc libro vere aureo haec de furto per l. et l. concepto obviam veniunt verba[41]:

„Prohibiti actio quadrupli ex edicto Praetoris introducta. Lex autem eo nomine nullam poenam constituit; hoc solum praecipit, ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lancem habens; qui si quid invenerit, jubet id lex furtum manifestum esse. (§. 193). Quid sit autem linteum, quaesitum est, sed verius est, consuti genus esse, quo necessariae partes tegerentur, quare lex tota ridicula est, nam qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibiturus

---

40) Gell. supra not. 38 laud. verb.: „quod limum appellatur."

41) Comm. lib. III. §. 192. 193.

est,[42]) eo magis, quod ita quaesita res inventa majori poenae subjiciatur. deinde quod lancem sive ideo habere jubeat, ut manibus occupatis[43]) nihil subjiciatur, sive ideo ut quod invenerit, ibi imponat; neutrum eorum procedit, si id quod quaeratur, ejus magnitudinis aut naturae sit, ut neque subjici, neque ibi imponi possit. Certe non dubitatur, cujuscunque materiae sit illa lanx, satis legi fieri."

Cui Gaji testimonio accessit aliud adhuc, quo mirifice confirmatur. In Glossis scilicet ad Justiniani Institutiones, quas ex Codice Taurinensi descriptas primus Savignius noster publici juris fecit,[44]) hunc memorabilem deprehendimus locum[45]):

„Ita enim fiebat, ut is, qui in alienam domum introibat ad requirendam rem furtivam, nudus ingrediebatur discum fictile in capite portans, utrisque manibus detentus."

Quibus novis testimoniis, omni suspicione majoribus, ex mea quidem sententia omnia dubia omnesque difficultates, quibus olim quaestio nostra implicita erat, radicitus explosa videntur. Cognoscimus nempe.

Primo, furti per l. et l. quaestionem privatam fuisse. Is, cui furtum factum fuit, ipse proprioque Marte quaesivit, amicis quidem adhibitis,[46]) sed nec lictorum nec aliarum personarum publicarum ulla fit mentio.

---

42) Cod. legit: „nam qu* vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibitus est," et Goeschen. inde in prima edit. sic scripsit: „nam q u e m vestitum quaerere prohibet [scil. lex XII tabb.], is et n u d u s quaerere prohibitus est," secundum quam lectionem Gajus legem propterea ridiculam nominasset, quia uno tenore jussisset, ut qui quaerere velit, nudus sit, et etiam non nudus. Quae sane legis reprehensio sane absurdissima foret, Sandero suadente in posteriorib. editionib. ea lectio recepta est, quam et ego supra adoptavi. Eam rectissime sese habere, inprimis ex seqq. verb. eo m a g i s rel. apparet, quae alia illa lectione retenta omni sano sensu carerent.

43) Cod. et omnes Editt. legunt: occupantis, quae lectio mihi quidem vel maxime displicet, cum quonam jure is, qui furtum quaerit, o c c u p a n s nominetur, intelligere nequeam. Una litera *n* ejecta omnia optime sese habent.

44) In adpendice libri egregii: Geschichte d. röm. Rechts im Mittelalter, et quidem in 1. edit. in adpend. tom. III., in 2. edit. in adp. tom. II.

45) Nr. 466 ap. Savign. l. c.

46) Gaj. III. 186: „testibus praesentibus."

Digitized by Google

Secundo comperimus ex novis hisce fontibus, eum, qui furtum solenniter quaesierit, revera nudum domum alienam intrare debuisse, solo licio vel linteo cinctum, et hac ex parte igitur Festi vel Pauli testimonium egregie confirmatum est. Hujus vero praecepti aperta ratio est, ne forsitam ipse ille, qui furtum quaereret, rem in sinuosa sua veste absconditam pro furtiva subjicere posset; et eandem consuetudinem, nostris sane hodiernis moribus alienissimam, sed pro antiqua morum simplicitate haud mirandam, deprehendimus etiam apud Graecos. Cujus testis probatissimus est vetus Scholiastes ad Aristophanem, 47) qui sic fere loquitur:

„Moris erat, ut qui in domum alicujus ad investigandum ingredi vellent, nudi introirent, ne sub vestibus occulentes quid clam auferrent, aut ne propter inimicitias illud inferrent, et subjiciendo rem, quam quaererent, hoc modo damnum pararent.“ 48)

Tertio denique lanx etiam lanciisque usus ex Gajo Glossaque Turinensi ita illustrantur, ut ex mea sententia nil obscurum, nil dubium relinquatur. Quamvis videlicet furtum quaesiturus toga deposita nudus domum intret necesse sit, attamen, si parvulae res furto ablatae dicebantur, facile fieri potuisset, ut

---

47) Nub. Act. I. sc. 6. v. 497 sqq. Aristophanes ibi Socratem ita cum Strepsiade colloquentem inducit:

„Σω. Ἴθι νῦν, κατάθου θοἰμάτιον. Στρ. Ἠδίκηκά τι;
Σω. Οὔκ, ἀλλὰ γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται.
Στρ. Ἀλλ᾽ οὐχὶ φωράσων ἔγωγ᾽ εἰσέρχομαι.“

(Socr. Age nunc, vestem depone. Streps. Num quid mali feci?
Socr. Nihil, sed nudos ingredi leges jubent.
Streps. Atqui ego non ingredior, ut furtum quaeram.)

48) „Ἔθος ἦν, τοὺς εἰσιόντας εἰς οἰκίαν τινὸς ἐπὶ τῷ ἐρευνῆσαι, γυμνοὺς εἰσιέναι, ἵνα μή τι ὑπὸ τὰ ἱμάτια κρύψαντες λάθωσιν, ἢ ἵνα μὴ ὑπὸ ἔχθρας λάθωσιν ὑποβαλόντες τὸ ζητούμενον, καὶ ζημίας αἴτιοι τούτῳ γίνωνται.“ — Eundem quaerendi ritum describit etiam Plato de legib libr. XII (in opp. ex edit. Bipont. vol. IX p. 202). — Similem furti quaerendi observationem etiam apud antiquos Germanos in usu fuisse, monuit Grimm. in: Zeitschr. für gesch. Rechtsw. tom. II. p. 91 sq., et in: deutsche Rechtsalterthümer p. 640 sq.

manibus quaerentis aliquid subjiceretur. Cautissime inde lex praecipit, ut, qui furtum quaerere velit, ambabus manibus lancem vel patinam prae se ferat, ita ut non manibus, sed solis oculis inquirere possit. Optime hoc arguit Glossa Turinensis: „utrisque manibus detentus,“ et adnuit Gajus: „ut manibus occupatis nil subjiciatur.“ Quod vero Gajus addit, praecepti illius rationem forsitam eam fuisse, ut, quod quaerens invenerit, lanci imponatur, hoc proculdubio rejiciendum est, et temere etiam a Gajo dictum arbitror, totam legem ridiculam esse, quia omnis ejus ratio cesset, si res, quae quaeratur, ejus magnitudinis aut naturae sit, ut subjici nequeat; nam, uti eleganter Celsus [49]) ait, „ad ea debet aptari jus, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eveniunt,“ quod etiam Julianus [50]) recantat: „Neque leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit, et ea, quae plerumque accidunt, contineri.“

Summa omnium, quae hucusque disputavimus, haec est. Lex XII tabularum praecipit, ut is, qui rem furto ablatam quaerere velit, nudus solo licio vel linteo cinctus domum alienam intret, et duabus manibus lancem prae se ferat; cujus utriusque praecepti communis est ratio, ne sub quaestionis praetextu aliquid subjici, itaque falsa furti suspicio innocenti moveri possit. Quodsi res furtiva, tali modo, i. e. lance et licio, quaesita, et revera concepta, i. e. inventa est, jubet lex, eum, apud quem sit concepta, eadem teneri poena, atque si in ipso faciendo deprehensus esset. At vero in his X virorum praeceptis nil ridiculi, nil absoni inveniri posse, qui temporis morumque priscorum, ut oportet, respectum habet, haud infitiabitur; et cum omnia haec non conjecturis nitantur, sed certissimis fontium testimoniis confirmentur, sperari poterat, totam istam controversiam de furto per l. et l. concepto inde a Gajo Veronensi invento extinctum iri. Quae vero spes turpiter nos fefellit. At enim hodie haud pauci

49) L. 5 de legib.

50) L. 10 eod.

sunt, qui antiqua commenta Gajo nostro praeferenda censent, v. g. Muehlenbruchius et Thibautius, quorum priori, 51) Festi vestigia prementi, perplacet sententia, lancem intelligendam esse larvam, quam quaerentes vultui aptassent; posterior vero, Thibautius, 52) etiamnum Pithoeo adstipulatus, furti quaestionem per lictorem licio cinctum factam esse contendit. 53) Imo etiam hodie Jurisconsulti reperiuntur, qui innumerabilium fere conjecturarum de furto per l. et l. concepto molem adaugentes, nova et hucusque inaudita excogitarunt commenta, inter quos nominandi sunt Tigerstroemius et Christiansen. Prior 54) pro solita ejus sagacitate, lancem vertit „Lanze," indeque eum, qui furtum quaesierit, hastam, quasi dominii symbolum, secum tulisse odoratur. 55) Christiansen 56)

---

51) Not. 2) ad Heineccii synt. ant. lib. IV. tit 1. §. 19. edid. Mühlenbr. Francof. 1841. p. 607 sq.

52) In libro posthumo: Lehrb. d. Geschichte u. Institut. d. röm. Rechts. Herausgegeben v. Guyet. Berl. 1842, p. 162 sq.

53) Verba viri doctissimi haec sunt: „Die Strafe des furti manifesti traf auch Jeden, bei dem nach feierlicher Nachsuchung die gestohlnen Sachen gefunden wurden. Dies nannte man furtum per lancem et licium conceptum, weil nämlich die Visitation durch nackte Gerichtsdiener (?) geschah, welche blos mit einem Gürtel (licium) bekleidet waren, und ein Becken (lanx) vor sich hielten, nicht, wie Manche glaubten, um damit ihr Gesicht zu bedecken, sondern um darin das die Visitation erlaubende Dekret zu tragen, und dann die gefundene Sache darin zu fassen. Auf diese richtige Erklärung, welche sich durch viele Belege rechtfertigen lässt (?), deutet auch Gajus (??)."

54) Die innere Geschichte d. röm. Rechts, Berl. 1838. §. 128, p. 416 sq.

55) Tigerström. ita loquitur: „Auch nach den 12 Tafeln soll der Haussuchende nackend, nur linteo cinctus sein, dabei eine Lanze führen (lancem habens), Gaj. III. 192, Gell. N. A. XI. 18, XVI. 10, Fest. v. lanx et lic. . . . Die Lanze war bei den Römern vom Kriege her das Symbol des Eigenthums, und wurde als solches bei den verschiedensten Rechtsgeschäften in der früheren Zeit benutzt. Dennoch bemerkt Festus zur Erklärung dieser schon damals zweifelhaften Sitte, dass der Suchende sie vor seinen Augen gehalten habe, wegen der Gegenwart der Mütter und Jungfrauen. Ebenfalls zweifelhaft nennt Gajus es, ob sie den Zweck habe ein Unterschieben zu verhindern, oder die gefundene Sache damit fortzutragen . . .; jedoch sei es nicht zweifelhaft, dass die Art der Lanze keinen Unterschied mache." Sapienti sat!

56) Die Wissenschaft d. röm. Rechtsgesch. im Grundrisse. Alton. 1838. tom. I. p. 183 sqq.

Digitized by Google

vero furtum per l. et l. conceptum tunc affuisse arguit, si res furtivae in eadem adhuc conditione, qua fur eas abstulerit, deprehensae fuerint, si igitur ex corbibus vel saccis nondum fuerint exemtae! 57) Hujusmodi ridiculas absonasque nugas me serio refutaturum esse, nemo profecto desiderabit.

Haec de furto per l. et l. concepto sufficiant.

Verum enim vero praeter hoc furtum per l. et l. conceptum, cui poena furti manifesti, verberatio puta addictioque, injuncta est, saepius in fontibus nostris actio furti concepti memoratur, qua actor poenam tripli persequitur. Testis est GELLIUS, 58) qui sic loquitur:

„Furti concepti, item oblati, tripli poena est,"

et huc etiam pertinet corruptissimus PAULI 59) locus, quem sic legendum censeo:

„Furti concepti actio tripli est poena et ipsius rei restitutio. Furti oblati actio adversus eum, qui obtulit, tripli est poena." 60)

---

57) Christiansen ita scribit: „Manifestum furtum ist nach den 12 Tafeln nicht blos, was concipitur, dum fit, nicht blos, quod eo loco, ubi fit, nicht blos, quod donec perferret eo, quo perferre fur destinaverat, sondern auch noch das, quod lance et licio conceptum est, das, was noch im Korb oder Sack gefunden wird. So lange die Sache noch im Werkzeug des Tragens ist, geschieht das ferre noch, es ist erst vollendet, wenn sie aus diesem heraus genommen ist." Et paullo post: „Wer suchen will, soll nudus, d. h. ohne Toga suchen, und in Gegenwart von Zeugen. Wird die gestohlne Sache gefunden, so ist das furtum conceptum, und eine persönliche Klage auf das Dreifache erworben. — — Wird die Sache aber noch am Leibe des Diebs, unterwegs oder in seinem Hause, noch eingepackt gefunden, lance et licio, so ist das lance et licio oder cum lance et licio conceptum." — — „Die Worte lance et licio sind unbedenklich eine Redensart der alten Sprache, der späteren Zeit unbekannt, uns unübersetzbar; ungefähr wäre es: ein furtum, das noch in Sack und Pack gefunden wird."

58) N. A. lib. XI. c. 18.

59) Rec. sent. lib. II tit. 31. §. 14.

60) Codd. habent: „Furti concepti actio adversus eum, qui obtulit, tripli est poena, et ipsius rei restitutio." Cum autem actio furti concepti nullo modo contra eum, qui obtulit, institui queat, plerique editores, auctore CUJACIO, legere malunt: „Furti oblati actio" rel. Sed nec sic Paulum scripsisse, ex verbis „et ipsius rei restitutio" apparet, cum actione furti

Digitized by Google

Olim omnes fere juris interpretes hanc actionem furti concepti ex Praetoris Edicto ortam esse, poenamque tripli in locum severioris decemvirorum poenae successisse existimabant, et argumentum iis erat, quod eodem fere modo furti manifesti poena asperior in quadrupli poenam mutata esset. Quae vero sententia, omnibus fere probata, aperte per Gajum [61]) refutatur, qui disertis verbis „concepti, ait, et oblati poena ex lege XII tabularum tripli est.“ Si nihilominus plures recentiores, inter quos honoris causa Hauboldum, [62]) Muehlenbruchium, [63]) Thibautium [64]) laudo, illam sententiam etiam hodie amplectuntur, Gajum tempora non satis accurate distinxisse existimantes: tali temeritati [65]) adstipulari equidem non audeo. Cum videlicet Gajus in toto loco de furtis semper accuratissime distinxerit jus antiquum inter et novum, cumque, eum juris etiam antiquitatum haud ignarum fuisse, Institutionum Veronensium singulae paginae luculenter ostendant, mihi quidem, Gajum hoc nostro loco actionem honorariam et actionem civilem ex XII tabulis turpiter miscuisse, plane incredibile videtur, et certissimum mihi est, revera in ipsis XII tabulis duo contenta fuisse praecepta, alterum, quo furto per l. et l. concepto poena furti manifesti irrogata sit, alterum, quod actionem furti concepti in triplum introduxerit. Quae si ita sunt, ultro sese offert quaestio, quaenam inter haec duo ejusdem legis praecepta ratio intercesserit? Quam quaestionem a plurimis recentioribus ne verbulo quidem adtingi, magnopere miror. Qui autem difficulta-

---

oblati rei ipsius restitutio nullo pacto peti possit; et praeterea mirum esset, Paulum nullibi, quod actor actione furti concepti persequatur, exposuisse. Quae omnia si diligenter perpendimus, lectio supra a nobis proposita facile defendi poterit.

61) Gaj. III. 191.

62) In adnotat. ad Heinecc. synt. ant. lib. IV. tit. 1. §. 22 (in edit. Mühlenbruchiana p. 610).

63) Ad Heinecc. l. c. p. 610.

64) Loc. cit. (vid. not. 53) p. 163. lit. c.

65) MUEHLENBR. l. c. non dubitat dicere, „hunc quoque locum esse argumento, minime Gajum attento animo, quin velut oscitantem ac somniantem omnem hanc rem egisse“ (!!).

*

tem exinde oriundam non ignorant, ad eam enodandam duplicem, eandemque maxime diversam viam ingressi sunt. Etenim alteri, v. g. WALTHERUS 66) et UNTERHOLZNERUS, 67) poenam tripli ex lege XII tabularum tunc irrogari existimant, si res furtiva sine omni solennitate, sine lance igitur licioque, quaesita et inventa sit; poenam vero furti manifesti eo casu locum tenere putant, si, urgente suspecto, quaerens ad lancis illam liciique observationem coactus fuerit. Alteri autem, v. q. SCHWEPPIUS 68) et REINIUS 69) eam sententiam acriter impugnant, cum Gajus expressis verbis dicat, „legem XII tabularum praecipere, ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lancem habens," ex quibus Gaji verbis ultro patere, ex lege XII tabularum nullam plane aliam nisi solennem quaestionem cum lance et licio permissam fuisse. Quare hi viri docti, rejecto solennem inter et minus solennem quaestionem discrimine, furtum per l. et l. conceptum cum addictionis et verberationis poena tunc statuunt, si apud ipsum furem res furtiva inventa sit, furtum conceptum vero cum tripli poena eo casu accipiunt, si non apud furem, sed apud eum, cui a fure res oblata sit, furtum concipiatur. Magnopere autem vereor, ut haec secunda opinio solidis nitatur rationibus, et equidem, solummodo eam, quam primo loco laudavi sententiam defendi posse, nullus dubito. Jamjam ipsa verba apertissime ad discrimen solennem inter et minus solennem quaestionem spectare, quis est, quin videat? Si videlicet furtum conceptum et furtum per lancem et licium conceptum sibi opponuntur, aliudne, quaeso, discrimen inter utrumque ex verbis derivari possit, quam in altero lancem liciumque adhiberi, in altero autem cessare? Quomodo vero hic verborum usus cum adversariorum opinione conciliari queat, haud intelligo; nam si in omni furtorum quaestione lancis

66) Geschichte d. röm. Rechts p. 806.

67) Lehre d. röm. Rechts v. d. Schuldverhältn. tom. II. p. 678. not. r („Die furti concepti actio bezieht sich also auf Haussuchungen in gewöhnlicher Form").

68) Röm. Rechtsgesch. u. Rechtsalterthümer. 2. edit. §. 328.

69) D. Criminalrecht d. Römer von Romulus bis auf Justinian. Leipz. 1844. p. 300.

Digitized by Google

liciique observatio necessaria fuisset, ista verba non sine insigni absurditate ad unam solummodo quaestionis speciem designandam usurpari poterant." Verum non ex verbis tantum, sed ex ipsa etiam rei natura nostra sententia optime probatur. Jam supra enim vidimus, totam lancis liciique observationem ad solam ejus, qui suspectus diceretur, utilitatem spectare, ne scilicet illi facile falsa furti suspicio injici possit. Quae quum ita sint, quid, quaeso, magis naturale esse potest, quam solemnitatem illam, quaerenti maxime molestam et injucundam, non nisi suspectus strenue eam postulaverit, adhibitam esse? et lex, quae nulla suspecti voluntatis ratione habita, quaerenti absolute lancis liciique necessitatem imposuisset, ridicula sane et absurda fuisset. Sicuti autem ipsum discrimen solennem inter et simplicem quaestionem ex rei natura profluit, ita poenarum etiam differentia optime exinde explicatur; nam eum furem vel furis socium, qui tam obstinatae et impudentis sit sceleritatis, ut quaerentem ad odiosam illam lancis liciique observationem coëgerit, jure meritoque multo majori poena affligendum esse, quam alium, qui quaestionem minus solenniter peragendam permiserit, nemo facile infitiabitur. Ut vero ne minimum quidem dubium relinquatur, nostra probatio non ex solis indiciis, perspicuis sane et evidentibus, non ex verbis tantum et rei natura, perfici potest, sed nec deest nobis testis classicus omni suspicione major. Apud Gajum nempe haec invenimus verba:

„qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibiturus est, eo magis, quod ita quaesita res inventa majori poenae subjiciatur,"

quae verba luce clarius probant, etiam minus solennem furti quaestionem a vestito factam veteribus Romanis non incognitam, eaque adhibita furis poenam leviorem fuisse, ac si res furtiva a nudo cum lance et licio quaesita et inventa fuerit. Sed jamjam vereor, ne facem soli admovere videar; qua de causa hoc solum adhuc moneo, alium illum Gaji nostri locum ab adversariis laudatum, nullum nobis facessere negotium. Si nimirum Gaji verba: „hoc

solum [lex] praecipit, ut qui quaerere velit, nudus quaerat" et rel. cum iis, quae antecedunt: „Prohibiti actio quadrupli ex edicto Praetoris introducta, lex autem eo nomine nullam poenam constituit" conjunguntur, quin praeceptum illud XII tabularum ad eum solum casum, si suspectus quaestionem prohibuerit, spectet, dubitari nequit, et nullo igitur pacto ex istis verbis, quaestionem semper, etiam suspecto non prohibente, a nudo cum lance et licio peragendam fuisse, derivari potest. —

Omnibus, quae hucusque disputavimus collectis, haec simplicia decemvirorum praecepta deprehendimus.

Qui rem furto amiserat, eamque a tertio quodam, sive is fur sit, sive alius, detineri suspicabatur, quaestionem privatam sibi permittendam petere poterat. Quae quidem quaestio, suspecto haud refragante, sine omni solennitate, testibus solummodo adhibitis, procedebat, et si res ita quaesita inveniebatur, actio furti concepti tripli locum tenebat. Quodsi vero suspectus quaestionem illam prohibebat, rei furtivae dominus nudus solo licio cinctus lancemque habens quaerere debebat, et si res ita solenniter quaesita concipiebatur, is, apud quem inventa erat, eadem poena, atque si furto manifesto deprehensus esset, affligebatur.

Sed quid, si suspectus solennem quoque istam furti quaestionem prohibuisset? Quod facile fieri potuisse, Gajus [70]) verbis istis jam supra laudatis „qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibiturus est" satis aperte indicat, et praeterea affirmat, legem XII tabularum eo nomine nullam poenam constituisse, sed actionem furti prohibiti ex edicto demum Praetoris introductam esse. [71]) Quod equidem vix crediderim. Concedendum est quidem Gajo, a decemviris de nostro casu disertim nil cautum fuisse; persuasissimum vero mihi est, ex mente et sententia legis necessario hoc profluxisse praeceptum, ut, qui omnem omnino quaestionem prohibuisset, eadem poena, atque

70) Gaj. III. 193.

71) Gaj. III. 192.

Digitized by Google

si furtum per lancem et licium apud eum conceptum fuisset, affligeretur. Quin igitur prohibitum furtum jam ex XII tabularum jure furto manifesto aequiparatum fuerit, nullus dubito. Cum deinde Praetor novam furti manifesti poenam, quadrupli scilicet, introduxisset, consequens erat, ut et furti prohibiti poena mutaretur; et hocce sensu accipiendum est, quod Gajus affirmat, actionem furti prohibiti quadrupli ex Praetoris edicto introductam esse. Nil plane novi Praetor constituit, sed furto prohibito novam tantummodo furti manifesti poenam adaptavit. —

Sed merito vereor, ne ipse ego longius loquendo manifesto patientiae vestrae furto deprehendar. Quare hic jam insistens ad ea convertam, quae mihi loquendi opportunitatem praebuerunt, breviter tamen more consueto praemissis, quae memoratu digna anno praeterlapso Academiae nostrae acciderunt:

Atque omnium primum illud commemorandum est, etiam hoc anno insignem Serenissimi nostri Principis, LEOPOLDI, munificentiam ac benevolentiam nobis non defuisse, cujus egregium documentum eo inprimis exhibuit, quod Academiae nostrae Curatoris munus gravissimum contulerit viro clarissimo atque humanissimo DAHMEN, consiliario intimo et quae sunt reliqua, quem praesentem justis meritisque laudibus extollere modestia prohibet. Id unum dicam, virum hunc gravissimum nostrarumque rerum promovendarum cupidissimum magna et egregia jam perfecisse, majora vero moliri, quae ut ad faustum producantur exitum, omnes, qui Almae nostrae Ruperto-Carolae salutem cordi habent, intime exoptant.

Praeterea serenissimi nostri Principis egregia erga nos munificentia et liberalitas eo etiam apparuit, quod haud paucorum Professorum vel salaria vel honores clementissime adaucta sint.

In ordine Jurisconsultorum ZŒPFL consiliarius aulicus nominatus est, egoque inter equites ordinis Leonis Zaringiae receptus sum. — In ordine Medicorum HENLE et PFEUFER consiliarii aulici creati sunt; CHELIUS eo est honoratus, quod insignibus majoribus ordinis Leonis Zaringiae, quae

jam olim ipsi concessa fuerunt, nuper argentea stella adhuc accesserit; GMELIN et PUCHELT ejusdem ordinis equites renunciati sunt. In ordine Philosophorum RAU, qui hucusque ab aulae consiliis intimis fuit, consiliarius intimus, BRONN et GERVINUS consiliarii aulici nominati sunt; SCHLOSSER majora insignia ordinis Leonis Zaringiae accepit, BÆHR inter ejusdem ordinis equites est receptus.

Professores extraordinarii facti sunt HAGEN, HÆUSSER et WEILL; prosectoris munus adeptus est NUHN; qui omnes hucusque privatim apud nos docebant.

In privatim docentium numerum in ordine Medicorum BRUCH et RAU; in ordine Philosophorum SCHIEL et PETRASI recepti sunt.

FRIDERICUS CREUZER, senex ille venerabilis septuagenario major, qui jam per octo lustra et quod excedit, summum Academiae nostrae est decus, docendi et seminarii philologici dirigendi munere sese abdicavit, cujus in locum BÆHR seminarii philologici director nominatus est.

Morte nobis ereptus est DIERBACH, vir doctissimus, in docendo diligens, in scribendo diligentissimus, qui per quinque lustra Professoris Medicinae extraordinarii munere apud nos functus est.

Discessit etiam a nobis EDUARDUS ZACHARIÆ A LINGENTHAL, Caroli Salomonis nostri filius, vir in toto jure civili versatissimus, inprimis vero de juris Graeco-Romani fontibus egregie meritus, qui ab Academiae nostrae strepitu effugiens, Professoris juris extraordinarii munere deposito, Tusculanum suum petivit.

Amisimus praeterea AUGUSTUM MUNCKE, collegae conjunctissimi filium, juvenem Gallici inprimis juris consultissimum, qui, quum hucusque jus apud nos privatim docuisset, nuper Carlsruham collegii forestalis Assessor vocatus paullo post praematura morte carissimis parentibus ereptus est.

Digitized by Google

Discessit denique a nobis vir consultissimus LŒWIG, qui per sex fere annos judicis academici munere egregie functus, nuper Mannhemiam, ut tribunali superiori, quod ibi floret, consiliarius adsit, honorifice vocatus est. —

Bibliothecae copiae hoc quoque anno multis novorum librorum accessionibus auctae sunt; haud paucos etiam libros dono accepimus, insigni liberalitate societatis naturae curiosorum aliorumque virorum doctorum, qui de nobis bene sunt meriti. Quibus omnibus ita, ut par est, hoc solenni loco debitas agimus gratias. —

Commilitonum numerus etiam hocce anno admodum auctus est, cum, quod raro hucusque accidit, hoc uno anno sexcenti fere novi cives academici a nobis recepti sint, quorum in numero etiam CAROLI FRIDERICI nepotem inveniri, admodum laetamur. Quod autem plus est, commilitones dilectissimi morum etiam integritate diligentiaeque assiduitate ita excelluerunt, ut hac ex parte nostram Ruperto Carolam a nulla literarum universitate, quotquot sint, superari persuasissimum mihi sit.

Properamus in finem. Venimus jam ad quaestiones et praemia.

Ordini Medicorum una responsio ad quaestionem propositam:

„Quinam humores animales continent acidum aceticum et acidum lacticum, quive iisdem carent?“

tradita, eaque insignita est his verbis:

„Seh' ich die Werke der Meister an,
So seh' ich das, was sie gethan;
Betracht' ich meine Siebensachen,
Seh' ich, was ich hätt' sollen machen.“

GŒTHE.

Auctor summa cum diligentia et assiduitate plurimis experimentis chemicis bene institutis comprobavit, acidum aceticum in sanguine, saliva, succo gastrico et urina deficere, ejusque vestigia tantum in lacte et felle comparere; deinde

idem, num acidum lacticum in sanguine, lacte, urina, saliva et felle contineatur in dubium vocavit, sed in succo gastrico (canis) aut illud, aut aliud simile acidum magna copia invenit. Praeterea auctor iis sedulo collectis, quaecunque ab aliis de hac re observata et cogitata sint, justo modo cognoscit, quaevis illius quaestionis hisce temporibus sit ratio et conditio. Quae quum ita sint, auctor quidem quaestioni propositae non omni modo satisfecit, et fortasse ob rei difficultatem ei satisfacere vix potuit, attamen multum contulit ad eam solvendam. Quare ordo Medicorum opus praemio dignum, eoque ornandum esse decrevit.

Aperta schedula nomen auctoris legitur:

THEODOR A DUSCH,

BADENSIS.

Ordo Philosophorum anno praeterlapso hanc quaestionem proposuerat:

„Disseratur de satira M. Terentii Varronis, satirarum fragmentis accuratius examinatis.“

Una commentatio oblata est, his poetae verbis inscripta:

„Audendum est; fortes adjuvat ipse Deus.“

Auctor commentationis quaestionis vim et ambitum bene perspexit, argumentum recte disposuit atque accurate singulas partes persecutus est. Nam priori operis parte de satirae Varronianae forma, de tempore, quo Satirae scriptae videntur, probabiliter exposuit, altera parte de consilio atque argumento Satirarum subtiliter disseruit ac denique ipsum scribendi genus dijudicavit, veterum scriptorum locis, qui huc pertinent, allatis atque arte critica adhibita tractatis. Quamquam sunt, quae desiderari queant, auctorem tamen hujus commentationis praemio ornandum esse Philosophorum ordo censuit.

Schedula reclusa exhibet auctoris nomen:

BERNARDUS JÜLG,

BADENSIS.

Digitized by Google

Ad quaestiones ab ordine Theologorum et Jurisconsultorum propositas neminem respondisse, maximopere dolemus. —

In proximum annum a singulis ordinibus hae proponuntur quaestiones:

Ordo Theologorum postulat:

„Explicentur novi Testamenti loci de sacerdotali omnium Christianorum dignitate ac munere (1 Petr. II, 5. 9. 10. Apocal. I. 6 rel.), addito epimetro de hac sententia ad ecclesiae notionem consituendam varie adhibita."

Ordo Jurisconsultorum quaerit:

„Quaenam sunt principia ad decidendas controversias circa onus probandi in processu civili?"

Ordo Medicorum vult disseri:

„De dolore, ejusque tum natura et origine, tum varietate et significatione, nec non de anodynis, eorumque modo agendi."

Philosophorum Ordo has duas quaestiones proponit, alteram historici argumenti:

„Triginta tyrannorum, qui dicuntur, inprimis Odenathi atque Zenobiae, historia secundum auctorum, numorum et inscriptionum testimonia scribatur,"

alteram e re rustica desumtam:

„Praedia rustica in campis late dispersa multo minori commodo coli quam vicina et continentia, inter omnes constat. Quum vero singula praedia, quae quisque possidet, aestimando et permutando conjungi possint, idque ipsum tamen rarius apud nostrates effici videamus, varia eaque gravia hujus operis impedimenta adesse concludimus. Itaque Ordo postulat, ut inquiratur in causas, quae illam agrorum permutationem (Arrondirung, Consolidirung) impediant, et in remedia, quibus haec impedimenta amoveantur."

Digitized by Google

Hanc quaestionem tractantibus usus germanicae linguae conceditur.

Habetis ergo, commilitones dilectissimi, argumenta vestris ingeniis vestrisque studiis dignissima. Campus jam est apertus; frequentes descendite in arenam, juvenes! Praemia non deerunt. —

Quod reliquum est, pia nuncupemus vota pro LEOPOLDO, magnificentissimo Academiae Rectore. Deum optimum maximum devotissima mente adoramus, ut Principem clementissimum, patriae patrem, cum tota sua domu augusta, quam diutissime salvum et incolumen servet.

Dixi.

Digitized by Google

Law

18

DE

DIVISORIBUS ET SEQUESTRIBUS,

AMBITUS APUD ROMANOS INSTRUMENTIS,

PARSONS LIBRARY
University of
MICHIGAN

DISSERTATIO,

QUAM

JUSSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
HEIDELBERGENSIUM ORDINIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE OBTINENDOS

SCRIBEBAT

FRIDERICUS HENRICUS WEISMANN,
MOENO-FRANCOFURTANUS.

HEIDELBERGAE,
TYPIS GEORGII REICHARDI.
MDCCCXXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

De divisorum apud Romanos agendi ratione vivendique conditione quum inter VV. DD. nondum satis convenerit, non inutile fore mihi visum est, perpensis atque ponderatis omnibus, quos investigare possem, veterum scriptorum locis hanc rem illustrantibus de propriâ vocis vi ac significatu quam accuratissime inquirere ejusque rei disquisitionem pro virili parte ad finem perducere. Multum enim illos valuisse in comitiis Romanis magnumque damnum reipublicae administrandae attulisse negari nequit. Et hoc quoque extra omnem dubitationem positum esse puto, divisores fuisse eos, quorum operâ hi, qui vel summos in civitate magistratus gerere, vel multum in republicâ valere, vel denique rei facti poenae se subducere cuperent, ad populum judicesve per largitionem demulcendos atque captandos uterentur. Extremis enim reipublicae temporibus quum jam paullatim evanesceret prisca Romanorum virtus majorumque fortissimorum atque integerrimorum memoria in oblivionem abiret, nec summa morum probitas nec maxima de republica merita fere quidquam amplius valebant ad summos honores adipiscendos, sordidae tantum largitioni vilique adulationi omnia patebant. Quem corruptissimum reipublicae statum vehementer deplorat Q. Cicero in eâ, quam ad fratrem de petitione consulatus scripsit, epistolâ, quum in hoc vel maxime vitiosam esse civitatem ait, quod largitione interpositâ virtutis ac dignitatis oblivisci soleat (XIV. 5); et hic quidem de comitiis; judiciorum vero quanta fuerit avaritia, multi ipsius Marci Ciceronis loci abunde demonstrant.

Notissimum est C. illius Verris judicium, quem, quum aperte prae se ferret: „nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ posset", fortasse ne ipsius quidem Ciceronis vis, gravitas, ingenuusque in dicendo ardor frangere potuisset, hominem nimirum vel ipsâ stirpis nobilitate gratiosum cujusque rationibus consules quoque designati operam navarent, nisi eâ jam tum judicia invidiâ flagrassent, ut fere absolvi reus sine corruptionis specie non posset. „Inveteravit enim, accusator inquit Cicero (Act. I, c. 1), opinio perniciosa reipublicae vobisque (judicibus) periculosa, quae non modo Romae, sed etiam apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his judiciis, quae nunc sunt,

pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari", seque ait illi causae cum summâ voluntate et exspectatione populi Romani actorem accessisse, non ut augeret invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurreret: adduxisse enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satisfacere exteris nationibus judices possint. Ordinem dicit Senatum, ad quem judicia redierant temporibus Sullanis, funestissimâ illâ libertatis populi Romani clade, quâ quum factiosae et corruptae nobilitati omnia cessissent, eum in statum respublica incidit, ut, quod ait Cicero de Republ. I. 31, verbo quidem liberi essent omnes, ferrent suffragia, mandarent imperia, magistratus ambirentur, rogarentur; sed ea darent magis, quae etiam si nollent, danda essent, et quae ipsi non haberent, unde alii peterent; expertes essent imperii, consilii publici, judicii delectorum judicum, quae familiarum vetustatibus aut pecuniis ponderarentur. Antea enim, quum ex lege Semproniâ equester ordo judicaret, annos prope quinquaginta continuos, in nullo judice equite Romano judicante ne tenuissimam quidem suspicionem acceptae pecuniae constitutam esse idem (Act. I in Verr. c. 13) testatur; judiciis ad senatorium ordinem translatis sublatâque populi potestate, tanta corruptionis vis ingruit, ut longa ibidem nobilissimorum nominum series exstet, quibus pecuniam ob rem judicandam datam esse apparuerit, inveniretur que senator, qui quum judex esset, in eodem judicio et ab reo pecuniam acciperet, quam judicibus divideret, et ab accusatore, ut reum condemnaret. Scilicet ille is Senatus fuit, in quem, exstinctis per diuturna bellorum civilium detrimenta, C. Marii primum crudelitate, mox proscriptione Sullanâ, praestantissimis reipublicae luminibus, perditissimus quisque ex Sullanâ illâ cohorte irrepserat, homines luxuriae, rapinae, civium sociorumque vexationi per longum usum assueti, ex eo denique genere, quorum plurimos postea, quum ob varia probra Censoriis notis Senatu moti essent, cum Catilinâ ad reipublicae perniciem conjurasse novimus. Adeo tamen late per pessima illorum temporum exempla morum corruptela disseminata fuerat, ut ne sublatis quidem legibus Sullanis mutatâque eodem illo, quo in Verrem Cicero dixerat, anno per Cn. Pompejum Cos. judiciorum descriptione, pristina probitas morumque integritas rediret, nec Equites postea, nec Tribuni aerarii, quos aeratos haud inficete Cicero appellat (Epist. ad Attic. I. 16. 2), quibuscum judicia tum communicata sunt, a corruptionis infamiâ immunes se praestarent. Exemplo sit Catilinae causa, qui quum post reditum ex Africâ, quam ex praeturâ provinciam obtinuerat, repetundarum peteretur Torquato et Cottâ Coss., cum summâ Senatus et bonorum omnium indigna-

tione absolutus est, ita tamen, ut, Q. Cicerone teste (de pet. Consul. III. 3), ipse tam egens e judicio discederet, quam quidam judices ejus ante illud judicium fuissent (cf. et Sallust. Catil. c. 18; Cic. pro Caelio c. 4; Ascon. Pedian. ad Orat. in toga cand.); Clodiique judicium illud emtum constupratumque, ut M. Cicero appellat Epist. ad Att. I. 18, 3, quum „maculosi senatores, nudi equites, tribunique vere aerarii" (ibid. 16. 2) in medio sole non lucere judicarunt; qui quum antea simulatâ severitatis specie praesidium sibi constitui a Senatu postulassent, facete Catulus: „an, inquit, ne numi vobis eriperentur, timebatis?"

Comitia creandis magistratibus quando ea lues invaserit, non satis constat; sero tantum paullatimque invaluisse auctor est Plutarchus in V. Coriol. c. 14, loco satis notabili: *ὀψὲ γὰρ μετὰ πολὺν χρόνον ὠνὴ καὶ πρᾶσις ἐπεισῆλθε καὶ συνεμίγη ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς ψήφοις ἀργύριον —— φαίνεται δὲ κρύφα καὶ κατὰ μικρὸν ὑποῤῥέον οὐκ εὐθὺς ἐν Ῥώμῃ ἔκδηλον γενέσθαι τὸ κακόν.* Quamquam prius quam ipsa judicia suffragia populi corruptioni obnoxia fuisse pro certo affirmare licet; sicut Athenis quoque multo demum postquam plebes largitione corrumpi coepisset, Ol. XCII. 4 primum judicum corruptionis exemplum in Anyti causâ exstitit (Diodor. Sic. XIII. 64). Et de ambitu quidem jam anno ab U. C. 398 lata est lex Poetelia; quae tamen num largitionem quoque honorum adipiscendorum causâ factam spectaverit, ignoramus; novorum tantum hominum ambitioni, qui nundinas et conciliabula adire solerent, reprimendae latam tradit Livius VII. 15. Baebiam Aemiliam demum, quae a. 571 lata est (Liv. XL. 19) ad corruptiones quoque suffragiorum pertinuisse Sigonius (de Iudic. l. II. c. 30 sive de ant. jure pop. Rom. T. II, p. 649) et Heineccius (Synt. Antiqu. l. IV, t. 18, n. 78, p. 806 ed. Haubold.) ex Nonio colligunt, qui (p. 470 Mercer.) ex eâ Catonis oratione, quâ, ne illa lex derogaretur, dissuasit, haec verba citat: „pecuniam tibi inlargibo". Sequitur Cornelia Fulvia a. 594 lata (Liv. Epit. l. XLVII), quam quod Sigonius primam capitali poenâ sanxisse ait, ne suffragia donis ac pecuniâ emerentur, conjecturâ tantum nititur, neque quidquam praeterea de eâ audimus. Optime enim idem ille summus antiquitatum populi Romani auctor statorque intellexit, vix antea increbrescere suffragiorum corruptiones potuisse, quam primum a. 614 lege Gabiniâ tabellariâ institutum esset, ut in magistratibus creandis non voce cives sed tabellis uterentur, aliae deinde succederent, quae omni ratione suffragia tegerent, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret; pontes adeo lege Mariâ angustiores facti essent (Cic. de Legg. III. 16 et 17). Quas etsi populus, oppressus dominatu ac potentiâ princi-

Digitized by Google

pum, flagitasset (ibid. c. 15), semperque tabella quasi vindex libertatis gratissima illi fuisset, quippe quae, ut ait Cicero pro Plancio c. 6, frontes aperiat hominum, mentes tegat, detque eam libertatem, ut quod velint faciant, promittant quod rogentur; facile tamen intelligitur perniciosissimum fuisse tam pronis ad omnem libidinem levitatemque temporibus, latebram dari populo, in quâ, bonis ignorantibus quod quisque sentiret, vitiosum suffragium tabellâ occultaretur; quod etiam Montesquieu judicio suo confirmat, quum scribat (Esprit des loix II. 2): „Dans la république Romaine, en rendant les suffrages secrets, on detruisit tout; il ne fut plus possible d'éclairer une populace qui se perdoit." Et judicum quoque tabellas fuisse nota res est; illic licet adeo postremo in contrarium mala fides grassaretur et velut ipsa se superaret, ut ne tutos quidem se ipsi, qui corrupissent, ab eorum, quos ad fraudem faciendam comparassent, fraude praestare posse arbitrarentur, nisi aut ostenderentur certis in consilio tabellae, aut discoloribus ceris insignitas judices acciperent, ut timeret unus quisque eorum, ne fidem pactionis non servasse videretur; cf. Cicer. Divin. in Caecil. c. 8 c. not. Ascon. Pediani; Act. I in Verr. c. 13; ad Divers. I. 9; Symmach. Laudd. in Patres III, p. 40 ed. princ. Mediol.

Non est cur reliquas de ambitu coërcendo leges singillatim recenseamus, quum de iis ab Sigonio et Heineccio ll. ll., Ernestio quoque in Indice Legum Clavi Cicer. praefixo, satis superque disputatum sit; quae etsi singulis fere lustris, auctâque semper majorem in modum poenae atrocitate sancirentur, coërcere tamen malum non potuerunt, quod ad nobilissimos gratiosissimosque in republicâ homines pertineret, cujusque interdum ne ipsi quidem legis latores immunes essent; id quod in primis in C. Calpurnio Pisone et M? Acilio Coss. a. 686 apparuit, qui et ipsi ambitus suspicione aspersi nisi coacti a C. Cornelio Tr. Pl. vocem illam reipublicae salutarem non misissent. Cf. Ascon. Pedian. ad Fragm. Cic. Orat. pro Cornel. et Dion. Cass. XXXVI. 21: *ἔπραξαν δὲ τοῦθ' οἱ ὕπατοι οὐχ ὅτι καὶ ἤχθοντο τῷ πράγματι· αὐτοὶ γὰρ διασπουδάσαντες ἀπεδείχθησαν καὶ ὅ γε Πίσων καὶ γραφεὶς ἐπὶ τούτῳ καὶ πρὸς ἑνὸς καὶ πρὸς ἑτέρου τινὸς ἐξεπράξαντο τὸ μὴ κατηγορηθῆναι· ἀλλ' ὅτι ἠναγκάσθησαν ὑπὸ τῆς γερουσίας· αἴτιον δὲ ὅτι Γαΐός τις Κορνήλιος δημαρχῶν πικρότατα ἐπιτίμια τάξαι κατ' αὐτῶν ἐπεχείρησε καὶ αὐτὰ καὶ ὁ ὅμιλος ᾑρεῖτο κ. τ. λ.* Tantum enim aberat, ut per cladem illam, quam Sullanâ victoriâ plebis licentia acceperat, modus illi rei imponeretur, ut inde demum palam et immodeste grassari ambitum videamus. Homines enim nobiles et pecuniosi, quibus illâ victoriâ haud dubie summa in republicâ potentia cesserat, quum velut hereditario jure summos sibi

Digitized by Google

honores deberi a populo arbitrarentur, puderetque nepotes, si non ad idem potestatis fastigium pervenirent, quo patres avosque suos fuisse longâ imaginum serie intelligerent (cf. v. c. Cic. pro Plancio c. 6 et 21), neque tamen luxurie et inertiâ corrupti atque degeneres propriis illud virtutibus assequi possent, in largitione tantum turpissimisque artibus ambitionis spem habebant. Plebes autem, quae, etsi libertatis nomen tribuendorumque honorum jus retinuisset, re tamen ipsâ fracta et dissipata capitibusque suis orbata, raro tantum virum aliquem fiduciâ suâ dignum inveniret, quem, velut M. Ciceronem, honoribus suis ultro ornaret, sensim sensimque totam se turpissimae illi ambitioni obnoxiam praebuit. Unde factum est, ut inter quaestiones perpetuas, quae inde a saeculo post u. c. septimo habebantur, de ambitu quoque quaestio haud extremo loco esset. Licet enim Q. Cicerone teste (de pet. Consul. XIV. 8) nulla comitia tam inquinata largitione essent, quibus non gratis aliquae centuriae renuntiarent, tamen etiam nulla omni ambitu carebant, tamque turpi interdum et caeco, ut eligerentur aliquando, qui ipsi, ut ait Cic. ad Att. I. 19. 4, plane quid emissent, nescirent; eamque res turpissima vim accepit, ut ipse ille integerrimus omnium morumque severitate conspicuus M. Cato necessitate coactus e republicâ fieri judicaret, quum optimi cives ad dejiciendum de Consulatu Caesarem pecunias conferrent; cf. Sueton. V. Caes. c. 19.

Neque enim hoc loco sermo nobis est de legitimâ illâ ambiendi petendique ratione, quae, ut verbo, ita re quoque et usu a turpi legibusque prohibito ambitu distabat; quum per integrum fere antequam comitia haberentur annum candidati quotidie supplices plebi circa forum eundo, assidue prensando, appellando, blandiendo, quantum fieri posset omnium sibi animos voluntatesque conciliare et propitios reddere studerent; quâ de re quum peculiaris ille Q. Ciceronis ad M. fratrem commentarius exstat, tum a Carolo Sigonio reliquisque, qui de antiquitatibus populi Romani scripserunt, affatim expositum est. Quae etsi nobis quidem gravissimi cujusque viri dignitati minime convenire videantur, et jam tum quibusdam minus convenire visa sint, necessaria tamen esse eo in populo, qui comitiis non semper judicaret, sed gratiâ plerumque moveretur, adeoque etiam si judicaret, non delectu aliquo et sapientiâ duceretur ad judicandum, sed impetu nonnumquam et quâdam etiam temeritate, vel sapientissimi intellexerunt, qui, ut ait Cicero (pro Plancio c. 4), semper ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. Et de convenientiâ quidem alicujus actionis ex hominum tantum moribus et consuetudine, de turpitudine ex aeternis recti honestique legibus judicari oportet. Quapropter sedulo videndum

Digitized by Google

nobis erit, ut ea, quae quamquam minus graviter, honeste tamen cuivis facere licuerit, distinguamus ab iis, quae non nostro tantum, sed omnis aevi bonorum consensu damnata sint. Idque de iis quoque valet, quorum operâ candidatos in ambiendo usos esse audimus. Quid enim honestius suffragatione illâ, quum candidatorum amici, ut se ipsum narrat Cicero pro Plancio c. 10, appellarent populum tributim, summitterent se et supplicarent, ultro etiam pollicentes rogarent, merita illorum tum in se tum in rem publicam collata cum publicâ testificatione commemorarent? Quid sollemnius sectatorum frequentiâ, quorum etsi numerus interdum quamvis repugnantibus hominibus coërceri tentatus sit, res tamen ipsa, modo merces abesset, semper innocens habebatur; cf. Cic. pro Murenâ c. 34. Alios defenderat candidatus, pro aliis spoponderat, in bello alios servaverat, saucios recreaverat, captivos liberaverat, alios in operas miserat, aliis aliter benigne fecerat; hos omnes illius petitioni favere non turpius ipsis habebatur, quam illi eos sibi beneficiis devinxisse. Hinc Cicero in orat pro Plancio c. 16: „dubitatis, inquit, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, judicarit *officiis* ab hoc observatas, non *largitione* corruptas?" mox c. 18: „quid diceres? *sequestremne* Plancium? respuerent aures, nemo agnosceret; an *gratiosum*? illi lubenter audirent, nos non timide confiteremur. Noli enim putare, Laterensis, legibus istis, quas Senatus de ambitu sanciri voluit, id esse actum, ut suffragatio, ut observantia, ut gratia tolleretur: semper fuerunt boni viri, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent"; et c. 19: „Ego Plancium et ipsum *gratiosum* esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos; quos tu si *sodales* vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso." Eas demum videmus consensiones, quae honesto magis quam vero nomine, ut ait Cicero ibidem c. 15, *sodalitates* sive *sodalicia* appellarentur, et turpes et legibus prohibitas fuisse. Nam per illos annos, Q. Cicerone teste (V. 5), homines ambitiosi vehementer omni studio atque operâ laborarunt, ut possent a tribulibus suis ea, quae peterent, impetrare; quas quidem „civium ad ambitionem gratiosissimorum sodalitates" ne a turpissimis quidem ambitus instrumentis abstinuisse adeoque plerumque ipsius largitionis causâ coisse, quum ex SCto apparet, quod a. 697 factum Cicero refert Epist. ad Qu. Fr. II. 3. 6: „ut sodalitates decuriatique discederent, lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, eâ poenâ quae esset de vi tenerentur", tum ex lege Liciniâ, quae jam eodem illo anno, quo Verrem Cicero accusavit, u. c. 683, de sodalitiis lata erat, nimirum, ut verbis utar scholiastae Vaticani in Plancianam, quem ante hoc triennium A. Majus Romae primus edidit, „ut severissime quaereretur in eos candidatos,

Digitized by Google

qui sibi conciliassent, eâ potissimum de causâ, ut per illos pecuniam tribulibus dispertirent ac sibi mutuo eadem suffragationis emptae praesidia communicarent". Quâ de lege Ed. Wunderus in Prolegomenis ad praeclaram suam Plancianae editionem (Lips. 1830 apud Hartmannum, 4) p. LXXII seqq. tam accurate egit, ut remittere illuc lectores possim; illud quoque recte contra Manutium Graeviumque monuit, haud confundendam cum sodalitate *coitionem*, quae inter ipsos candidatos fieret, ut v. c., ut uno tantum, quod praetermis it ille, exemplo utar, Asconio teste in Argum. Orat. in Toga Cand., Catilina et Antonius ad depellendum consulatu Ciceronem coierant; quas tamen et ipsas jam multo ante (Liv. IX. 26) adversus Rempublicam esse Senatus censuerat; largitionis ope usas esse luculentissimus probat Ciceronis locus Epist. ad Qu. Fr. II. 15: „Ambitus redit immanis; nunquam fuit par: Idib. Quinct. foenus fuit bessibus ex triente coitione Memmii, quam cum Domitio fecit, Scaurum ut vinceret"; cf. ad Attic. IV. 15. 7. Utriusque igitur communia instrumenta divisores et sequestres erant, quorum tantum ad eam rem momentum erat, ut Q. Cicero haud dubitaret pronuntiare (XIV. 9), si sequestribus metus injiceretur, divisores ratione aliquâ coërcerentur, perfici posse, ut largitio aut nulla fieret aut nihil valeret; Marco quoque fratre astipulante, qui in Orat. pro C. Corn. (p. 24 Fragm. Schütz.) populum Romanum ait, quum ambitum videret, et a tribunis plebis doceretur, nisi poenâ accessisset in divisores, exstingui eum nullo modo posse, legem Cornelii flagitasse etc. Quare operae pretium me facturum arbitror, si in eorum hominum negotia differentiamque tum inter se tum cum ceteris operis campestribus, ut Suetonius appellat (Vit. Aug. c. 3), paullo accuratius inquisivero.

Primus quidem, ut de omni comitiorum Romanorum ratione, ita de horum quoque hominum operâ diligentius egit Nicolaus Gruchius, apud quem l. I, c. 3 extr. posteaquam in universum monuit „ad corrumpenda largitione suffragia comparari solitos esse certos homines hujusce operis velut redemptores; qui certo quodam pretio accepto a candidatis aut vero ab amicis, qui se sequestres et interpretes in eorum causâ interponerent, corrumpenda plebis suffragia susceperint" idque exemplis firmavit, haec legimus maxime memorabilia (p. 74 edit. Venet. 1555, sive Graev. Thesaur. T. I, p. 579): „Neque enim existimandum est omnem numo„rum per tribus divisionem fuisse legibus ambitus prohibitam; alioquin legitimos non „habuissent divisores singulae tribus. —— At illud magis ambiguum est, iidemne „essent hi divisores cum diribitoribus, an ab eis diversi. Ego ut cum Budaeo diversos „fuisse existimem, eo argumento adducor, quod magistri curiarum, quorum me-

Digitized by Google

„minit Plautus, iidem erant divisores, ut ait Asconius; unde apparet multo ante „fuisse divisores quam lex tabellaria lata esset, post quam legem coeperunt esse „diribitores. • Quumque vile ac sordidum munus esset divisorum, non fit mihi veri„simile gravissimos senatores interdum hoc munere fungi voluisse, et tamen constat „interdum senatores diribitorum munus gerere solitos; ut omittam infimae conditio„nis hominibus, quales erant divisores, tabellas suffragiorum committere neque tu„tum neque aequum fuisse, praesertim quum illi ipsi essent, qui corrumpenda suffragia „suscipiebant." In his quae minus recte nobis disputata esse videntur, inferius declarabimus; quae tamen extremo loco Gruchius monuit, adeo vera sunt, ut satis mirari nequeam J. A. Ernestium, qui in Clave Cicer. p. 486 divisores eosdem cum diribitoribus tabellarum fuisse censet palamque profitetur, se locum Sueton. V. Aug. c. 3, qui patrem Augusti inter divisores operasque campestres proditum a nonnullis refert, aliter intelligere non posse; nam quod apud Cicer. in Pison. c. 15 diribitores sint honesti et senatorii viri, id extraordinarium esse neque istas operas campestres fuisse. Cui licet assentiri videatur Schützius, quum (Opp. Cic. Tom. V, P. 1, p. 281) reprehendat Asconium, qui hos eosdem fuisse ignorarit, recte tamen refragatus est ad illum Suetonii locum Baumgarten-Crusius, qui operas campestres omnino eos dici docet, quorum operâ candidati ad comparanda vel emenda suffragia uterentur. Operarum enim nomen quum in universum sordidum et contumeliosum est, tum in primis Ciceroni, ut recte Schützius in Lexico, per contemtum significat servos aut alios mercenarios ad facinora quaedam conductos, ut minime cadat in eos homines, quorum non modo operâ, verum etiam fide et aucteritate singulari ad cognoscendam populi voluntatem opus esset. At eo sane in errorem *Ernestius* inductus est, quod de ipsis quoque diribitoribus perversam sententiam animo conceperat, verbumque quod est *diribere,* Gruchio duce (ap. Graev. T. I, p. 563) ad distributionem tabellarum retulit, quam utique per ministros adeoque operas factam esse. Ciceronis locus Epistol. ad Att. I. 14. 6 luce clarius demonstrat. Sed hac de re disputandi compendium nobis fecit Eduardi Wunderi diligentia, qui in egregiâ dissertatione Variis Lectionibus librorum aliquot M. T. C. ex Cod. Erfurtensi enotatis (Lips. 1827. 8) praemissâ p. CXXVI—CLVIII omnibus veterum testimoniis pertractatis eos potius diribitores fuisse evicit, qui populo in suffragium misso singulorum tabellas diremerint indeque comitiorum eventum subduxerint; indagatâ simul ejus vocabuli ratione etymologicâ (dis — habere), quae tamen sub idem tempus Schwenckio quoque, praeceptori meo clarissimo, suboluisse videtur, ut qui in

Digitized by Google

lexico etymologico, quod prodiit Francof. ad Moen. 1827, sub voce *diribere* ad *habere* lectores remiserit, licet illic agere de eo composito neglexerit.

Hos igitur constat fuisse candidatorum eorumque omnino, quorum res in comitiis ageretur, amicos vel propinquos, eorumque munera in iis officiis habebantur, quae mutua sibi cives praestare tenerentur. Quae tamen quum essent molestissima, senatorii ordinis viri et aetate provecti liberare se ab his molestiis qualicumque vel aetatis vel honoris excusatione studebant; unde factum est, ut eo major honor haberetur, quo nobiliores ampliores que viri libenter suâque sponte ea reciperent; id quod sibi contigisse in comitiis ad legem de reditu ipsius ferendam habitis Cicero praedicat in Orat. post red. in Senatu c. 28: „quando illâ dignitate tot rogatores, diribitores custodesque vidistis", et in Pison. c. 15: „hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum; et quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel aetatis excusatione vel honoris, id in salute meâ nullo rogante vos vestrâ sponte fecistis"; ubi quod superiores nonnullas editiones ex glossemate vitium insederat *distributores*, recte a recentissimo editore Orellio sublatum est. At, objiciat aliquis, nonne Ausonius et Symmachus contrarium testantur, diribitores fuisse vilis conditionis homines unâque cum divisoribus et sequestribus corruptores suffragiorum esse habitos? Quorum alter in Gratiarum actione pro Consul. c. 5, p. 705 ed. Toll.: „Consul ego, inquit, Imperator Auguste, munere tuo, non passus septa, neque campum, non puncta, non loculos; qui non prensaverim manus nec consalutantium confusus occursu aut sua amicis nomina non reddiderim aut aliena imposuerim; qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, jure vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi"; alter in Laudd. in Patres III, p. 40, cujus locum primus adhibuit Vir Summus, Creuzerus (in Antiqu. Romm. p. 120): „intelligamus nostri saeculi bona: abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis". Speciosa haec, fateor; sed primum considerare debemus, illo tempore, quum in speciem tantum ab ipsoque Imperatore magistratus crearentur, veterum nominum ut usum ita vim quoque propriam in oblivionem venisse; deinde vero ne illud quidem negari poterit, ab elegantioribus quoque hominibus interdum amicorum in commodum fraudes factas esse. Cujus rei luculentum exemplum exstat apud Varronem de R. R. III, 5, §. 18: „Quum haec loqueremur, clamor fit in campo; nos athletae comitiorum unâ quum id fieri non miraremur propter stadia suffragatorum, et tamen scire vellemus, quid esset, venit ad nos Pantulejus Parra; narrat ad tabulam (ceratam

puta, in quâ punctis singulorum suffragia notabantur), quum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum; eum ad Consulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo surgit, quod ejus candidati custos dicebatur deprehensus" etc. Custodes enim et rogatores, quorum unâ cum diribitoribus ll. ll. Cicero meminit, neque Ernestius negat ex candidatorum amicis fuisse. Quanquam *rogatores* qui fuerint, postquam tabellariis legibus latis desierant singuli cives rogari, quem suffragio suo crearent, quidve de lege fieri vellent, non satis liquet; neque sufficit Ernestius, qui breviter tantum: „post, inquit, tabellis inductis, mansit nomen rogatorum." Cujus si haec sententia est, rogatores institutâ suffragandi ratione per tabellas non amplius adhibitos esse, quale tamen postea ipsorum negotium fuerit, explicare neglexit. Neque magis explicavit Adamus, qui p. 182 eos fuisse censet, qui ab uno quoque tabellas, quas in cistam non conjecisset, repoposcerint; quales in comitiis magistratibus creandis certe esse non poterant, ubi singulas tantum singulos cives tabellas accepisse certum est. Nam quum singulorum magistratuum non idem esset numerus, pro unius cujusque ratione tot semper ministrari tabellas oportuisset, quot candidati idem simul munus peterent, quod plurimas hercle difficultates magnamque comitiis moram attulisset; exstantque diserti veterum loci (Sueton. V. Caes. c. 80; Plin. Epist. IV. 25), *uno suffragio*, ut ait Q. Cicero III. 5, plures candidatos in unâ eâdemque tabellâ declaratos esse probantes; quos fusius illustravit Wunderus l. l. p. CXLVIII seqq., quum contra Abramium ad Cicer. in Pison. c. 40 non domo allatas sed in ipsis comitiis a civibus acceptas inscriptasque tabellas esse disputat. Qui tamen ipse quod p. CXLVI et CLXVII, rogatores arbitratur tabellas a civibus insignitas atque latas collegisse, ita ut singuli non ipsi in cistam eas injecisse sed rogatoribus tradidisse putandi forent, etsi non prorsus idem sit, quod Gruchius voluit, cistam eos detulisse, in quam suffragia populus conjecerit, ideo tamen et ipsum male me habet, quod tum rogatores, quae singuli suffragia tulissent, cognoscere potuissent neque amplius silentio sententiae premerentur; quum ob id ipsum, Cicerone teste (de Legg. III, 17) „tabellariae leges latae essent, ut tegerent omni ratione suffragium, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret". Quod nisi ita statuere volumus, rogatores admonuisse tantum et incitasse cives, ut suffragia conjicerent in cistam, simulque vidisse, ut omnia recte et sine fraude procederent, diribitisque tabellis sententiam tribuum Consuli renuntiasse: nihil restat nisi ut ad eam rogationem redeamus, de quâ Cicero pro Plancio c. 10: „Nam, inquit, ut omittam illud, quod ego pro eo laborabam, qui valebat ipse per sese; rogatio ipsa semper est gratiosissima, quae

Digitized by Google

est officio necessitudinis conjuncta maxime" etc., rogatoresque eos accipiamus candidatorum vel accusatorum amicos, qui tum ante quam comitia haberentur, tum in ipsis comitiis circumirent civibusque pro illorum vel salute vel dignitate supplicarent; cui sententiae contrarium certe nullum testimonium novi. Qui enim de Divin. II. 35 occurrit rogator centuriae, ad tempus ante legem Gabiniam pertinet, cf. de N. D. II. 4. Eos autem, qui a candidatis aut iis, quorum interesset, tum urnis et diribitoribus tabellarum tum vero etiam sortitionibus tribuum et sitellis (cf. Cic. de l. agr. II. 9 et Wunder. de discr. cistae et sitellae l. l. p. CLVIII seqq.) apponerentur, ne fraus intercedere posset, proprio nomine *custodes* potius dictos esse inter omnes constat (cf. quos laudat Ernesti in Clave p. 438 et Schwarzium ad Qu. Cicer. de petit. II. 4, p. 24 edit. B. F. Hummel), donec sub Augusto, Plinio teste (Hist. Nat. XXXIII. 7) nongenti equites constituerentur ex omnibus selecti ad custodiendas suffragiorum cistas in comitiis.

Duo igitur prorsus diversa apparet probe inter se distinguenda esse eorum hominum genera, qui candidatos reosve operâ et consilio adjuvarent: alterum honestum et officiosum eorum, quos pro diversis, quae obibant, muneribus suffragatores, rogatores, diribitores, custodes appellari vidimus; alterum eorum, qui largitione propositâ adhibitisque omnibus pravis et illicitis rationibus cives propensos reddere inque illorum partes trahere studerent, divisores dico, sequestres, interpretes, quorum omnium et nomina et negotia erant criminosa; de singulis jam accuratius agemus. Et divisorum quidem jam supra monui illud fuisse, ut numis tributim vel centuriatim divisis suffragia candidatis emerent; unde v. c. Cicero (de Oratore II. 63) Numium divisorem ait, ut Neoptolemum ad Trojam, sic illum in campo Martio invenisse nomen; idque, quantum scimus, solum eorum fuit negotium, neque intelligo, quibus argumentis adductus Ernestius horum quoque operam ad tabellas populo ministrandas referre potuerit, quod ne uno quidem veterum scriptorum loco comprobetur. Omnem eorum quaestum ac disciplinam optime describit Cicero Act. in Verr. I. 8, ubi narrat, quibus artibus nequam ille se ipsum aedilitate dejicere studuerit, his fere verbis: „Unum illud reperiebam, divisores noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam eâdem illâ nocte ad me venit. Demonstrat, quâ iste oratione usus esset; commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset jam antea quum ipse praeturam petiisset, et proximis consularibus praetoriisque comitiis; deinde continuo esse pollicitum, quantam vellent pecuniam, si me aedilitate dejecissent. Hic alios negasse audere; alios respondisse non putare id perfici posse; inventum tamen esse fortem amicum, ex

eâdem illâ familiâ, C. Verrem, Romiliâ, ex optimâ divisorum disciplinâ, patris istius discipulum atque amicum, qui H S quingentis millibus depositis id se perfecturum polliceretur; et fuisse tamen non nullos, qui se unâ facturos esse dicerent". Ibid. c. 9 de Verre dicit: „cursare iste homo potens circum tribus; paternos amicos, id est divisores, appellare omnes et convenire. Quod quum esset intellectum, fecit animo libentissimo populus Romanus, ut, cujus divitiae me de fide deducere non potuissent, ne ejusdem pecuniis de honore dejicerer". Unde quum simul ipsum Verris patrem, qui senatorio loco erat (II. 39), pari infamiâ laborasse adeoque magistrum divisorum, ut apud Scholiastam est, habitum esse intelligamus, non semper infimae sortis et obscuro loco natos fuisse apparet; sordidos tamen homines fuisse quosque vita plerumque vitiis omnisque generis sceleribus inquinata despectos redderet omnibus bonis atque honestis civibus, compluribus locis constat. Sic Cicero in Verr. III. 69 de Verris filio dicit: „nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati; nisi hoc forte deterior est, quod tu ejusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis et divisoris disciplinâ educatus". Quid quod idem de Harusp. resp. c. 20 Clodium divisores omnium tribuum domi ipse suae crudelissimâ morte mactasse ait? Nonne hic locus veram esse nostram sententiam aperte testatur? Accedit Suetonii ille, quem supra jam attuli, Vit. Aug. c. 3, ubi de nobilitate gentis Octaviae disserens: „C. Octavius pater, inquit, a principio aetatis et re et existimatione magnâ fuit; ut equidem mirer, hunc quoque a nonnullis argentarium atque etiam inter divisores operasque campestres proditum". Quem ad locum perperam Torrentius de divisoribus Italiae somniat, qui minime huc pertinent. Erant enim illi, ut recte Ernestius in Clave, quibus mandata erat in coloniis deducendis et ex lege agrariâ agrorum inter colonos distributio; quales jam ex lege Semproniâ triumviros agris dividundis creatos esse audimus, Liv. Epit. LVIII. Cf. Cic. Philipp. XI. 6: „Nuculam et Lentonem, Italiae divisores, lege eâ quam Senatus per vim latam judicavit", i. e. agrariâ. Aptius idem Torrentius ad Sueton. V. Caes. c. 33, ubi de Caesaris liberalitatae sermo est, allatis ICtorum testimoniis haec habet: „quae vero sic populo vel ordini alicui vel collegio aut testamento aut inter vivos ob causam aliquam, ut puta inito magistratu, viritim donabantur, apto sane vocabulo sed a paucis observato *divisiones* vocant ICti nostri"; quem tamen latiorem vocabuli usum, quum ad rem nostram nihil faciat, praetermittamus. Neque enim, quod largitionis quoque nomine interdum etiam leges agrarias et frumentarias et omnia publicae liberalitatis genera comprehendi videmus, iccirco illos divisores cum nostris largitionis campestris instrumentis confundi patiemur; neque Gruchio

Digitized by Google

concedemus necessarios fuisse divisores, qui quae quocunque modo privatâ munificentiâ ad plebem pervenirent, distribuerent; ut v. c. quum Imperatores ad triumphum redeuntes congiarium dederint, vel testamento aliquid a divite homine populo legaretur; quorum tamen omnium nihil ad curam eorum pertinuisse comprobari potest. Ipsius sane ambitus notionem plura largitionis genera comprehendisse docet SCtum, quod se Consule factum esse narrat Cicero pro Murenâ c. 32: „si mercede conducti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim et item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri"; attamen praeter eas divisiones, quae ad ambitus rationes et coëmenda suffragia pertinerent, nullum divisorum operae vestigium exstare censeo; cf. et Casaub. ad Cic. ad Att. I. 16, p. 117 T. I Graev.

Sed hac de re paullo pluribus agendum erit, ut liquido contra Gruchium reliquosque, qui ipsum ducem secuti sunt, comprobemus, non modo turpe et abjectum, verum etiam illicitum, nec publicum et legitimum, sed privatum divisorum negotium fuisse. Gruchius enim: „Ut argentarii, inquit, et praecones, qui publicis actionibus „serviebant, parum honesto loco censebantur, ut qui in sordido quaestu versari „viderentur; ita divisores, tametsi *munere fungerentur reipublicae necessario*, quia „tamen venalem suam operam habebant, vile ac sordidum munus eorum censebatur". Ernestius autem, ut alios mittam, in Clave, allatis primariis de divisoribus locis, hinc ait patere, primo suum cuique tribui divisorem atque fortasse etiam plures fuisse; unde fiat, ut per se non turpis res fuerit; deinde tribus per hos fere esse corruptas, quod per eos commodissime fieri posset, eamque tandem ob causam infame et suspectum divisoris nomen factum esse." Duo inprimis sunt inter eos, quos jam attulimus, Ciceronis locos, qui divisorum negotium pro legitimo quodam reipublicae munere haberi flagitare viris doctis videantur: alter Act. in Verr. I, c. 8; ubi divisores ait omnium tribuum noctu ad Verrem vocatos esse; alter de Harusp. resp. c. 20: „Unde ut rediit (Clodius) quaestum illum maxime fecundum uberemque campestrem totum ad se ita redegit, ut homo popularis fraudaret improbissime populum; idemque vir clemens divisores omnium tribuum domi ipse suae crudelissimâ morte mactaret". Jam Asconius Pedianus — sive alius quidam ille serioris temporis sit interpres, ut contendit J. N. Madvig in disp. crit. de Qu. Asconii Pediani et aliorum vett. intpp. in Cic. Oratt. commentariis, quae prodiit Hafniae 1828 — ad priorem illum Verrinarum locum scribens, quaerit: „utrum legitimos habeat omnes tribus divisores suos; quos Plautus in Aulularia magistros curiarum vocat? an divisores criminis nomen est?" ita

Digitized by Google

tamen, ut priorem sententiam magis probet; addit enim: „si divisores criminis nomen essent, non sibi unum ex his carum esse dixisset Cicero". Quippe sequuntur apud Ciceronem haec: „ex quibus quidam, qui se omnia meâ causa facere debere arbitrabatur, ad me venit"; quae tamen ne minimum quidem probare mihi videntur. Nam primum Cicero non dicit carum sibi istum divisorem fuisse, sed tantum sui studiosum. Tum vero hoc recogitandum est, quod ex Quinti quoque Ciceronis Commentario (V. 5) apparet, optimis quoque et integerrimis viris, etiam si omnem largitionem maxime respuerent, tamen benevolentiam quandam erga gratiosos illos homines simulandam fuisse, qui tantum apud plebem valerent ejusque animos, quo libuisset, flecterent. Unum illud ex locis laudatis colligi potest, omnes tribus suos quamque habuisse divisores; legitimos et ordinarios, non potest; neque secus consuetudinis cujusdam vel abusus observatione in errorem abducti esse videntur viri docti, quam quum olim in Atheniensium republicâ certos quosdam oratores annuis suffragiis creatos esse opinio invaluisset. Quanquam patet, quum tot essent tribus atque centuriae tantaque plebis Romanae multitudo, nullâ aliâ largitionis ratione, qui conciliare sibi civium animos vellent, procedere potuisse, nisi ut ex unâquâque tribu eos sibi eligerent ad corrumpendi ac dividendi negotium suscipiendum, qui notissimi tribulibus essent et plurimorum consuetudine et amicitiâ fruerentur. Singularum enim tribuum cives familiaritatis quodam vinculo inter se conjuncti erant, et per suos maxime tribules voluntates suas dirigi patiebantur. Unde etiam jocus ille explicandus est Ciceronis Epist. ad Att. I. 18. 6: „Est autem C. Herennius quidam tribunus plebis; quem tu fortasse ne nosti quidem; tametsi potes nosse; tribulis enim tuus est et Sextus pater ejus numos vobis dividere solebat", quo ex loco ridiculus foret, si quis ipsum Atticum numos accepisse colligeret; divisorem tantum videmus, qui hoc in se negotium susceperat, ut, acceptâ a candidatis eorumque amicis pecuniâ, tribulibus eam, si qui vellent, ad concilianda candidatis eorum suffragia divideret. Quanquam tam late haec accipiendi lubido patebat tamque continuo usu in consuetudinem et statam quandam largitionis certitudinem abierat, ut non singuli aut pauci in singulis tribubus, sed plures adeoque multi divisores essent, ut aliquando ipsum Consulem, qui legem de ambitu ferebat, propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, foro ejectum esse Asconius Pedianus narret (ad Orat. pro Cornel. T. XVI, P. 2, p. 200 edit. Schütz); ipsumque negotium in perpetuum quaestum versum erat, cui per totam vitam operam suam ac vires impenderent et veluti disciplinam divisorum posteris quoque traderent. Populus autem singulaeque tribus majoris facilitatis ergo per complures *decurias*

Digitized by Google

describebantur, more ut videtur, a Graecis repetito, apud quos *δεκάζειν* ipsam corrumpendi significationem accepit; cf. Hüllmanni Staatsrecht des Alterthums (Cöln 1820) p. 143 et quos laudat C. Fr. Hermannus ad Lucian. de Hist. Conscr. p. 247 sq.; quae tamen non magis legitimae publicâve auctoritate munitae erant, quam ipsi divisores; cf. Cic. pro Planc. c. 18: „Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus et bonorum omnium vim et dolorem excitarunt"; et c. 19: „sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriasse; quod si non potes, noli tollere ex ordine nostro liberalitatem, noli maleficium putare esse gratiam, noli observantiam sancire poenâ"; ubi vid. Wunder p. 187.

Quibus omnibus perpensis veri simillimum mihi est, hos divisores, si non semper, certe tamen haud raro eosdem fuisse argentarios atque numularios, de quibus laudasse sufficiat Cl. Salmas. de foen. trapezitico p. 541 — 564, et Desid. Herald. Obss. ad Jus Att. et Rom. II. 24 et 25, p. 173 sqq.; praesertim quum Suetonii illum locum considero, qui utrorumque mentionem conjungit. Hoc certe constat, aeque vilem et sordidum horum quaestum fuisse; qui etsi per se quidem prorsus justus et licitus esset, videntur tamen illi haud difficulter, abusi suâ in homines de plebe vi ac potentiâ proclivique pecuniae affluentiâ, illum quoque largitionis procurandae quaestum in se transtulisse. Quod tamen etiam si cui minus probabile videatur, hoc tamen concedet, spero, *privatos* homines semper fuisse divisores, qui lucri cupidi, nullâ lege instituti, fecundum illum, quem Cicero dicit, maximeque uberem quaestum campestrem suo periculo exercerent. Unum restat adversariis praesidium, quod tamen nullo negotio expugnari posse nobis videtur: Plautinus ille locus in Aululariâ, qui jam veterem Ciceronis interpretem conturbavit. Ibi enim (I. 2. 29) avarus Euclio: „Nam noster, inquit, nostrae qui est *magister curiae*, dividere argenti dixit numos in viros; id si relinquo ac non peto, omnes illico me suspicentur, credo, habere aurum domi"; et inferius (II. 2. 1): „Praesagibat mihi animus, frustra me ire, quum exibam domo, itaque abibam invitus; nam neque quisquam curialium venit, neque *magister,* quem *dividere* argentum oportuit". Sed quid hoc ad rem? Num hos magistros curiae eosdem dicamus atque illos divisores? Nondum Plauti aetate tam inquinata erant comitia, ut curiatim divideretur pecunia civesque quasi publice corrumperentur. An usquam de legitimâ quâdam per curias largitione in republicâ Romanâ mentio fit? qualem tamen aperte Plautus significat, quum senem dicentem facit, petere se pecuniam velle, quam si non petiisset, fore ut omnes divitem se putent. Neque unquam per *curias*

Digitized by Google

Romae largitio grassata est, quae tributa tantum et centuriata comitia obtineret. Nihil igitur restat, nisi ut ex *Atheniensium* institutis hunc pecuniae dividendae morem Plautum petiisse, Athenis illa dici voluisse statuamus. Illic enim τὸ θεωρικὸν illud, quod dicebatur, institutum erat, ut cives inopes binos obolos vel etiam plures acciperent publice ad ludos celebrandos diesque festos laete obeundos; quam stipem per δήμους distributam esse contra Boeckhium, qui κατὰ φυλὰς factum esse voluit (Staatshaush. der Ath. T. I, p. 237), recte demonstravit Meierus (de bonis damnat. p. 79) ex Demosthenis loco adv. Leochar. p. 1091. 25: *καὶ μετὰ ταῦτα ἧκε Παναθηναίων ὄντων τῶν μεγάλων τῇ διαδόσει πρὸς τὸ θεωρικὸν καὶ ἔπειτα οἱ ἄλλοι δημόται ἐλάμβανον*. Magister curiae igitur Plauto est δήμαρχος: neque in eo nos haerere oportet, quod *curiam* dixit δῆμον, qui proprie *pagus* esset, cf. Meier l. l. et Grotefendi diss. praemio ornatam de demis Atticae (Gotting. 1829) p. 15; *tribum* enim non potuit, quae erat φυλή: atque omnino vacillare circa ejus vocabuli interpretationem veteres Latinos videmus, cf. quos laudat C. Fr. Hermannus Griech. Staatsalterth. §. 111, not. 5 et 6; Plautum secutus est Schömannus de Comit. Athen. p. 341. Quae quum ita sint, prorsus equidem cum Madvigio (l. l. p. 134, not. 3) curiarum illos magistros Atticos e civitate Romanâ expellendos censeo, quo illos invitâ Minervâ Gruchius intrusit; neque ullum locum proferri posse affirmo, quo publici muneris et ministerii quidquam divisoribus fuisse ostendatur. Et quo pacto publici esse poterant, quibus et ipsis et qui cum illis negotium habuissent, ubi deprehensi et convicti essent, atrocissima judicia legibus proponerentur? Cicero pro Murena c. 26: „De divisorum indiciis et de deprehensis pecuniis respondebo"; pro Plancio c. 23: „Neque enim qui illi numi fuerint, nec quae tribus, nec qui divisor, ostendis; atque is quidem eductus ad Consules, qui tum in crimen vocabatur, se inique a tuis jactatum graviter querebatur; qui si erat divisor, praesertim ejus, quem tu habebas reum, cur a te reus non est factus? cur non ejus damnatione aliquid ad hoc judicium praejudicii comparasti?" Anno autem 692, quum Consul ipse Piso negotium suscepisse diceretur et domi suae divisores habere, SCta facta sunt, Cicerone teste (Epist. ad Att. I. 16. 7), duo: „unum ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, cujus domi divisores haberent, adversus rem publicam". Ita enim ibi legendum est; quod Ernesti proposuit: ut qui — haberent, non necessarium; *habere* enim pro *habitare* dictum est, ut non modo apud Plautum ejusque aequales, verum etiam apud Ciceronem legitur, v. c. pro Rosc. Amer. c. 46: „qui in Sallentinis aut Bruttiis habent" etc. Qualis tamen poena divisoribus constituta fuerit, ignoramus; ambitus quidem damnatis quum ex lege Calpurniâ praeterquam quod pecuniâ mulctarentur, neque magistratus capere neque in senatum legi liceret, Tulliâ vel exilium proponebatur (cf. Cic. pro Plancio c. 34, pro Murenâ c. 41), cui metui mox Aufidius Lurco illud quoque adjecit, ut, si quis numos in tribus pronunciasset nec dedisset, quoad viveret, singulis tribubus H S CIↃ CIↃ CIↃ deberet (Cic. ad Att. I. 16. 7); sed quum vel hujus criminis tam raro condemnari homines in corruptissimâ republicâ

Digitized by Google

videamus, multo etiam rarius consentaneum est divisores poenae atrocitatem sensisse, quorum operâ saepissime iidem illi, qui ambitus reos vel condemnassent vel accusassent, occasione oblatâ usuri essent.

Nec minus impune plerumque reliquis quoque fuisse videtur, quos distinguendos a divisoribus in hoc corrumpendorum suffragiorum negotio partim jam supra monui, *sequestres* dico et *interpretes*, licet aeque et criminosa et turpia eorum facinora haberentur. Insignis est, qui lucem huic rei afferre possit, locus Cicer. Act. I in Verr. c. 12: „Moneo, praedico, ante denuntio, qui aut deponere, aut recipere, aut accipere aut polliceri, aut sequestres aut interpretes corrumpendi judicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc judicio manus animosque ab hoc scelere nefario"; ubi vetus ille interpres haec: „deponitur in sequestri, accipitur ab eo qui corrumpitur, recipitur id est promittitur ab eo, qui pro judicaturo spondet; pollicetur, qui apud se dicit aut praemium aut sententiae potestatem esse; sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur, interpretes, per quos inducitur pactio". Mihi quidem locus ita potius ordinandus videtur, ut conjungamus verba *deponere* et *recipere*, rursumque *accipere* et *polliceri*, illuc *sequestres*, huc *interpretes* referamus. Deponunt enim rei eorumque amici pecuniam apud sequestres, hi recipiunt pecuniam; pollicentur judicibus interpretes, accipiunt judices; qui autem recipiunt vel accipiunt, impudentiam suam, qui deponunt et pollicentur, potentiam professi esse dicuntur. Interpretes igitur, ipso nomine arguente, apparet fuisse, qui et divisoribus judicibusve numos pollicerentur, quos viritim dividendos curarent, et de largitionis summâ nec non de mercede agerent, quam ipsi divisores largitione factâ acciperent; sequestres autem quasi confirmatores quosdam pecuniae, ut Cicero ait pro Cluentio c. 26, qui pecuniam a candidato vel accusato largitionis causâ depositam servarent aut depositum iri sponderent, eamque pactione per interpretes factâ in divisorum judicumve manus traderent. Neque enim ad judicia modo, sed etiam inque primis ad comitia corrumpenda sequestrium operam pertinuisse, quum alii loci docent, quorum partim supra jam attuli, tum Ciceronis pro Plancio c. 19: „doce id quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit tribus"; et pro Caelio c. 7: „quod haud scio an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium similiter respondendum putem"; latiusque omnino patet sequestris vocabulum, quod inde ductum ait Gellius N. A. XX. 11, quod ejus qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Idem igitur est, quod graece *μεσεγγυήτης*, ut v. c. hac ipsâ de re apud Appianum legimus de bell. civil. II. 19: *καὶ τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστα ἐπλεόνασεν· ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς ἔμμισθος ἐπὶ τὰς χειροτονίας ᾔει· ὤφθη δέ που καὶ μεσεγγύημα ταλάντων ὀκτακοσίων ὑπὲρ τῆς ἐπωνύμου γενόμενον ἀρχῆς*. Et apud ICtos quidem bono plerumque et honesto sensu usurpatur de eo, apud quem, ut ait Modestinus de verbor. signif., plures eandem rem, de quâ controversia est, deposuerunt, sive, ut loqui solebant, sequestro posuerunt; quos autem hîc sequestres dicimus, eâdem quâ divisores infamiâ

Digitized by Google

fuisse, apparet ex Cicer. Orat. pro Caelio c. 13: „adulter, impudicus, sequester, convicium est, non accusatio"; pro Plancio c. 16: „cujus tu tribus venditorem et corruptorem et sequestrem Plancium fuisse clamitas?" et c. 18: „quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo agnosceret, repudiaretur". Quanquam longe eos honestiori et nobiliori quam divisores loco oriundos plerumque fuisse ex ipsis scriptorum locis colligere licet; qui quum quasi internuncii essent candidatos inter atque divisores, ipsorum candidatorum loco agerent, nullâque mercede corrupti eâ tantum spe moverentur, fore ut ii, quos operâ suâ juvissent, eandem mox in ipsorum petitionibus capitisve periculis sibi redderent, vel aliquo suo commodo inducti sponte suâ illorum temporibus servirent, amici potius candidatorum fuisse videntur, quibus ipsis aditus ad honores gerendos pateret, senatorii vel equestris ordinis homines. Unde Cicer. in Orat. in Toga cand.: „dico, P. C., superiore nocte cujusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu noti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse"; ubi Asconius: „Aut C. Caesaris, inquit, aut M. Crassi domum significat", quem nimirum interpretis munere fungi in negotio illo vellent. Eundem sequestrem et interpretem conspicimus M. Crassum in Clodii causâ; cf. Cic. ad Att. I. 16. 2: „Biduo per unum servum et eum ex gladiatorio ludo confecit totum negotium: arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit"; ut et C. Claudium, Verris sodalem, de quo Cicero Act. II, l. II, c. 44: „is est C. Claudius, qui in Siciliâ sequester istius, interpres, confector negotiorum". Quod autem ex Plancianâ videmus eundem et candidatum et sequestrem esse potuisse, optime explicavit Wunderus p. 137: „Non est dubium, quin sequester fuisse Plancius ab Laterense sit dictus, quod coitione factâ cum Plotio competitore (vid. supra p. 9) tribus quasdam pro pecuniâ apud eum depositâ Plotio concesserit vel vendiderit, quemadmodum vicissim Plotius existumandus est tribus quasdam, quas sibi devinctas habuerit, Plancio concessisse". Per coitionem enim effectum est, ut, qui ipse candidatus, idem pro competitore sequestris loco esset, quippe qui illius pecuniâ pro suâ uteretur, auctoritatem suam pro illius petitione interponeret; cujus rei luculentum exemplum exstat Lucceji et Caesaris, quem Suetonius narrat (c. 19) „Luccejum sibi adjunxisse, pactum, ut is, quoniam inferior gratiâ esset pecuniâque polleret, numos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret". Spondet enim sequester; is, cujus interest, pronuntiat; cf. pro Plancio c. 18: „Haec doce, haec profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse"; ad Att I. 16. 7: „qui numos in tribus pronuntiarit, si non dederit, impune sit"; ad Qu. Fr. II. 15: „vel H S centies constituunt in praerogativâ pronuntiare" etc.

Digitized by Google

DE

IMPENSIS EARUMQUE RESTITUTIONE.

DISSERTATIO

PARSONS L. University of MICHIGAN

PRO

VENIA LEGENDI RITE IMPETRANDA

IN

ALMA ACADEMIA RUPERTO-CAROLA.

SCRIPSIT

J. N. DE WENING-INGENHEIM

J. U. D.

MDCCCXLI.

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII REICHARDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

IMPENSIS, EARUMQUE RESTITUTIONE.

§. 1.

In tota de impensis doctrina hoc principium quam maxime servavit jus Romanum „neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri [1] debere“; ideoque leges Romanae constituerunt, impensas vel in rem vel propter rem ab ejus possessore factas, eidem restitui oportere. Utuntur autem Romani ad id significandum, quod nos lingua vernacula Verwendungen vocamus, tam variis verbis, ut nullum inter expensas et impensas discrimen legibus fundatum perspici possit [2]. Verba autem, quae praecipue in legibus occurruut, sunt haec: *sumtus,* cf. fr. 18 §. ult. Dig. de donationibus (39, 5) fr. 79 de jud. (5, 1) fr. 22 §. 3 ad SC. Trebell. (36, 1); *impensae,* cf. fr. 38 D. de her. pet. (5, 3) fr. 79 de V. S. fr. 14 de impens. in res dot. (25, 1) cet. *expensae,* vid. fr. 39 §. ult. D. de minor. (4, 4). Const. 12 prooem. Cod. de pet. her. (3, 31). Const. 24 de neg. gest. (2, 19); *impendium,* cf. fr. 7 D. ad leg. Aquil. (9, 2) fr. ult. D. de his qui effud. et dejec. (9, 3) fr. 29 comm. divid. (10, 3) fr. 27 §. 4 mandati (17, 1);

1) Fr. 206 D. de R. J. f. 14 D. de cond. indeb. (12, 6).

2) Cf. autem *Thibaut* System des Pandektenrechts. §. 179. J. G. a *Saavedra* de expens. et melior. Marburg. 1601. *Valett* Pand. §. 83. *Mackeldey* §. 155. *Valett* theoret. prakt. Abh. I. §. 1. *Glück* Comment. XXVII. Not. 10. p. 376. *Mühlenbr.* doctr. Pand. Vol. II. §. 232.

Digitized by Google

meliorationes, cf. C. 24 Cod. de neg. gest. (2, 19) C. 3 Cod. de jure emph. (4, 66). Si igitur nonnulli dixerunt, impensas esse factas in rem, expensas autem propter rem, haec sententia omni fundamento caret, in permultis enim fragmentis, quae secundum hanc sententiam impensae dici deberent, expensae, vel sumtus, et vice versa nominantur fr. 39 §. ult. de minor. (4, 4) fr. 22 fr. 8 §. ult. rem rat. hab. (46, 8) fr. 11 de leg. II. C. 24 Cod. de neg. gest. (2, 19) fr. 30 D. de procur. (3, 3). Quum igitur nusquam in legibus hujus diversitatis ratio habita sit, summo jure veteres scriptores modo hoc, modo illo vocabulo usi sunt, ut ex Cujacii, Donelli, Faberi, aliorumque scriptis luculenter adparet. Impensae ergo ex opibus rebusque nostris ad certum finem fiunt, nulla ratione habita, utrum rei alicui directe, an indirecte, an nullo modo commodum afferatur. Jam vero nobis occurrit quaestio haud negligenda, an id quoque impensis adnumerari queat, si quis vires, laborem, diligentiam in aliquod negotium contulerit? In societate tantum industriam ac laborem vel operam aequiparari pecuniae invenimus; socius ergo procul dubio laborem et operam aeque ac veras impensas aestimare potest. Fr. 6. fr. 29 §. 1. fr. 80 pro socio (17, 2). Id autem societati proprium est, quod nequaquam ad alia juris instituta trahi potest, quum semper de veris tantum impensis ex opibus rebusque nostris leges loquantur. Certe autem impensis adnumerandum est, si is, qui sumtus fecit, illo quidem tempore res suas non minuit, sed metuit, ne in futurum minuerentur, ergo si e. g. reus obligationis causa rem tradidit. Fr. penult. de her. pet. (5, 3) fr. 57. D. de rei vind. (6, 1).

§. 2.

Verba „locuples“, „detrimentum“ in principio illo §. 1 laudato, quod in tota de impensis doctrina vel maxime servatur, ad vera tantum bona trahi possunt, quare impensae voluptuariae, rem solummodo ornantes, in impensarum restitutione semper excluduntur. Impensas ergo, quas alius pro nobis fecit, eo postulante, restituere debemus, aut pati interdum, ut ille sumtus detrahat. Fr. 206 de R. J. fr. 14 de cond. indeb. (12, 6) fr. 38 de her. pet. (5, 3). Hic quoque, ut et alias bonae fidei possessori multo

Digitized by Google

majora commoda conceduntur, et hic multo magis adjuvandus est, quam malae fidei possessor, quae res in hac doctrina maximi momenti est, omnesque de impensis constitutiones singulis modificationibus exceptis hanc rem vel maxime respexerunt. Quamobrem neutiquam impensae aut deduci aut peti posse constat:

a) Si donandi animo impensae factae sunt. Fr. 27 §. 1. fr. 41 de neg. gest. (3, 5). Const. 15 Cod. eod. (2, 19). Quando hic donandi animus praesumatur, alio loco dicendum est.

b) Si quae impensae occasione contractus ex ejus natura fieri debent, secundum communem juris regulam hae impensae ad calculos non vocantur. Fr. 10 de R. J. fr. 13 de imp. in res dot. (25, 1) fr. 7 §. 2. fr. 27 §. 3 de usufr. (7, 1). Plerumque autem cum casum excipiunt, quo ejusmodi sunt onera suscepta, ut omnem exspectatam utilitatem, omneque commodum speratum tollant. In jure Romano autem haec limitatio non fundata est, quod jam Leyserus [3] bene perspexisse videtur, qui haec profert: „addunt tamen limitationem doctores, nisi immodica sint onera, fructumque excedant.“

c) Praecedens conventio de impensis earumque restitutione ante omnia respicienda est. Fr. 55 §. 1. fr. 61 locat. (19, 2). Exceptiones quasdam suo loco commemorabimus.

§. 3.

Impensae in *judiciales* atque *extrajudiciales* non inepte dividi possunt. Impensae judiciales vocantur, quae ex lite coram judicibus publicis tractata oriuntur; impensae extrajudiciales varia ratione oriri possunt, re non in judicium deducta. Conf. exempli gratia C. 13 §. 6 Cod. de jud. (3, 1). Tit. 51 Lib. 7 Cod. de fruct. et lit. exp. fr. 51 D. de her. pet. (5, 3). Tit. 1 Lib. 25 D. de imp. in res dot. (25, 1). Nos in hac dissertatione solummodo de impensis extrajudicialibus verba faciemus, non quo impensas judiciales huc pertinere negemus, sed quia impensas judiciales tantum ex

3) *Leyser* ad Pand. spec. 106. med. 3. *Voet* Lib. 7 t. 1. §. 38.

Google

principiis de rei debitae aestimatione recte illustrari et tractari posse nobis persuasum habemus. Sic rei, quam tractandam suscepimus magnitudo, et praestantissima, quae de judicialibus impensis scripta habemus, effecerunt, ut hanc disciplinam hic praeterire nos posse non dubitaremus. Diligentissime autem enucleaverunt doctrinam de impensis judicialibus: Weber (über die Proceßkosten, deren Erstattung und Compensation), Emmerich de eod. arg., Martin de justo suspendendo judicio de expensis, vid. etiam ejusdem auctoris doctrinam processus civilis communis, Schmidt (Beiträge zur Lehre v. d. Proceßkosten), aliique de processu civili scriptores.

§. 4.

Jam transeamus igitur ad impensas extrajudiciales accuratius tractandas, quae in necessarias, utiles et voluptuarias dividuntur. Fr. 79 de V. S. Ulp. fr. tit. 6 §. 14. 15. 16.

Impensae necessariae dicuntur omnes, quae fiunt ad rem aut ab interitu aut a depravatione servandam. Saepissime quidem illae tantum impensae dicuntur necessariae, quae fiunt ad rem ab interitu servandam, quam sententiam nos probare non possumus. Fr. 79 de V. S. [4])

Quae impensae rei commoda, quae antea res non habuerat, augent, utiles dicuntur; voluptuariae denique impensae amoenitatem tantum et pulchritudinem rei augent. Ulp. fr. tit. 6 §. 15. 16. fr. 8 §. 3. fr. 6. 7. *D.* de imp. in res dot. (25, 1).

Priusquam autem accuratius tractamus et consideramus, quam auctoritatem et vim tres hae impensarum species in multas juris disciplinas habuerint, in quibus casibus impensae aut per exceptionem tantum et retentionem cum exceptione conjunctam, aut per actionem postulari possint, nobis enucleare liceat.

Possessor rei, qua talis, si respectu rei ipsius impensas fecerat, a legibus nullam accepit actionem, exceptionis vero et retentionis remedium

---

4) Cf. *Cujacius* ad h. l. quae, si non fiant, rem demercire vel dimiaui sinunt. *Voet* ad Pand. 25, 1. 1.

salvum ei relictum est. Unicuique alii autem ad impensas recuperandas modo actionem contrariam, modo condictionem leges dederunt [5]. Fr. 14 de dol. mal. et met. exc. (44, 4) fr. 48. fr. 27 §. 5 de R. V. (6, 1) fr. 33 de cond. indeb. (12, 6) fr. 14 §. 1 comm. dic. (10, 3). Neque obstat C. ult. §. 1 i. f. Cod. de her. pet. (3, 31), haec enim constitutio eum modo casum respicit, quo possessor petitoris creditoribus satisfecit, et quasi hac creditorum satisfactione impensas fecit; qua de causa non rei ipsius respectu factae sunt impensae, sed pro actore, ita ut possessor quasi negotiorum gestor hoc loco habendus sit, neque enim quia possidet rem has impensas fecit [6]. Quum autem funditus neglecta essent principia actionis negotiorum gestorum, si hanc actionem admitteremus, haec actio denegatur, negotiorum enim gestorum actio ei modo competit, qui sciens negotia aliena gessit, neque vero illi, qui in rem, quam pro sua possidet, impensas fecit. Qua de re in praetoris edicto haec verba leguntur: Si quis negotia alterius cet. fr. 2 D. de neg. gest. (3, 5) fr. 14 §. 1 D. comm. div. (10, 3) [7]. Neque repugnat fr. 6 §. 3 de negot. gest. (3, 5) ex causis et rationibus modo allatis. Majoris autem momenti est fr. 40 de cond. indeb. (12, 6), in hoc enim fragmento Marcianus condictionem certe possessori concedere videtur; attamen ejusdem Digestorum tituli locum nostram sententiam vel maxime adjuvare constat. Julianus enim fr. 33 eod. hanc condictionem denegandam esse scripsit, qua in re igitur Marciano luculenter contradicit. At haec antinomia facillime tolli potest, si hic contra regulam heredibus condictionem incerti datam esse concedimus, quae explicatio fr. 21 ad Sc. Treb. (36, 1) confirmatur; illo enim fragmento omnis extensio recluditur. Aristo primum omnibus illis, quibus unice retentionis jus concessum est (quas solas habent — retentiones) heredem aequiparat, eique postea contra regulam condictionem concedit (sed posse eum cet.). Neque vero jam omnes difficultates

---

5) *Donellus* comm. d. j. c. lib. 20. c. 7. *Fab.* error. pragm. 26. E. 9. 10. *Herald* de rer. jud. l. 2. c. 23. in *Otto.* thes. t. 2.

6) *Valett* Pand. §. 89.

7) *Coccuji* jus controv. III, 15. quaest. 1—5. *Fabr.* rat. l. 10. tit. 3. fr. 29.

Digitized by Google

remotae sunt, restat enim Const. 5 Cod. de R. V. (3, 32). Si m. f. possessor impensas non necessarias fecit, earum rationem haberi non posse, rescriptum est, ergo contenditur in impensis necessariis, ut ex argumento a contrario luculenter appareat, repetitionem ei concessam esse; at verbum „repetitio" hic significat id quod vicissim postulatur, talisque repetitio b. f. possessori constitutione citata conceditur, m. f. possessori denegatur. Hoc sensu et aliis locis verbum „repetire" adhibetur, cf. const. 18 i. f. Cod. ad L. Jul. de adult. (9, 9), eodemque modo facile explicari potest fr. 41 D. de R. J. neque opus est emendatione illa critica, secundum quam pro „repetitioni" omnibus manuscriptis obstantibus „retentioni" legendum esset [8]). Cf. fr. 1 D. fr. 12 de exc. et praesc. (44, 1) fr. 19 de probat. et praesc. (22, 3). Denique singulare quiddam in legibus notandum est, in dirutis enim aedificiis res et materiae ad aedificandum necessariae peti possunt, neque vero impensae, ut apparet ex fr. 7 §. 10 de acq. rer. dom. (41, 1) et ex const. 2 Cod. de R. V. (2, 32). Usus fori autem certissime illam supra memoratam communem opinionem secutus est [9]). Possessori autem non modo exceptio, verum etiam retentio concessa est, non idcirco quia possidet, sed ex ipsa retentionis natura, quia tamdiu cum eo actor in obligatione est, quamdiu impensas non restituit. Nihil enim aliud retentio est, nisi jus rei tamdiu retinendae, quamdiu mutua obligatio nondum soluta est. Hoc jus ob impensas in rem factas possessori claris verbis concessum est fr. 33 de cond. indeb. (12, 6) fr. 2 pr. de L. Rh. (14, 2) fr. 14 pr. de donat. (39, 5) fr. 14 §. 1 comm. div. (10, 3). Quas vero exceptiones haec regula patiatur, infra accuratius videbimus. Illud autem tenendum est, impensas cum fructibus perceptis compensari et posse et debere. Fr. 48 de R. V. (6, 1). Si possessor rem nullis impensis deductis tradidit, ei condictio indebiti ob has impensas concessa est. Fr. 12 §. 6 de cond. indeb. (12, 6) fr. 5 §. 2

---

8) *Godofr.* de R. J.. *Cujacius* eod. loco. *Fab.* ration. de her. pet. (5, 3) ad §. 38 haec: sic procul dubio accipi debet, ut eos repetant per retentionem tantum, non per actionem.

9) *Molinaeus* ad Cons. Par. t. 1. §. 1. Gl. No. 105. *Struven* 11 th. 36.

Digitized by Google

D. de imp. in res dot. (25, 1). [10]) Sed usus fori hodiernus actionem in factum concedit detrimenti reconcinnandi causa.

§. 5.

Videamus nunc, quomodo ea, quae de omnibus impensis diximus mutata atque restricta sint:

1) In doctrina de possessione.

In doctrina de possessione haec de impensis tenenda sunt:

1) Impensae necessariae, sine ullo inter bonae et malae fidei possessorem discrimine, semper restituendae sunt. Const. 5 Cod. de rei vind. (3, 32). [11]) Omnes autem impensae dicuntur necessariae, quae fructibus procreandis et conservandis inserviunt, ideoque semper in calculum vocantur, ubi de fructibus restituendis agitur. Fr. 36 §. ult. de her. pet. (5, 3) fr. 7 solut. matr. (24, 3) fr. 51 pr. fam. herc. (10, 2). Sed eatenus modo impensae restituendae sunt, quatenus petitori ob has impensas in rem factas verum commodum accrescit, ditiorque factus est, idque similiter in bonae et malae fid. possessore servatur. A plerisque quidem et b. et m. f. possessori sine ulla limitatione impensarum postulatio conceditur, at *a)* nullam impensarum restituendarum causam videre licet, si petitori nullum commodum ex his impensis accrevit, tota enim de impensis doctrina, ut jam supra commemoravimus, in hoc fundamento et principio posita est: aequum est, neminem cum alterius detrimento et injuria locupletiorem fieri. *b)* Ex iis, quae antea diximus, apparet, possessorem nullam habere actionem; quodsi res casu aliquo perierit, contra eum etiam actioni locus non erit, ideoque exceptionis quoque remedium inutile habetur. Res autem aliter se habet, si interitus rei factus culpa possessori imputari poterit, tunc enim quasi re adhuc exstante judicandum erit, nam pretium rei in locum rei ipsius succedit, et ab hoc pretio impensae erunt detrahendae. Unicus tantum locus in Digestis communem opinionem adjuvare videtur, fr. 38 D. de her. pet. (5, 3). Hoc

---

10) *Valett* Abhdlgen. I. p. 45—48.

11) *Cujac.* lib. 10. obs. 1.

Digitized by Google

loco b. f. possessori semper jus detrahendarum impensarum conceditur, etiam re non amplius exstante; mala fid. possessor secundum hoc fragmentum tantummodo deducere potest, quanto res ipsa meliorata est. Jam Faber hunc locum toti de impensis doctrinae adversarium esse putat; in ration. ad hunc locum haec profert: „est igitur loci hujus sententia perabsurda, sive imperito alicui interpreti tribuere eam velis, sive quod magis credideris Tribonianae jurisprudentiae, cui familiare est, ut comparationes istas et similitudines conquirat ex iis, quae simile nihil omnino habeant." Sammet quidem in hermeneutica juris haec de Fabero profert: „saepius quam par est emendat (Faberus), fingit sine justa causa emblemata Triboniani, quoties in angustiis versatur." Nobis hac ratione fragmentum supra memoratum facile explicari posse videtur, si modo Pauli verba ad hereditatem tantum trahenda esse putamus. Quam sententiam ratio gravis, quae in rerum singularum possessione adhiberi nequit, vel maxime adjuvat; illic enim possessor postulationem tantum habet, utiliter ei mansuram, hic retentionem tantum, aut exceptionem, quae si res singula perierit, simul peribit. Illud quoque tenendum est, fundamentum, in quo tota de impensis doctrina posita est, in hereditate, quia hereditas universitas est, durare, in re singulari simul cum re ipsa cessare; tota enim universitas impensis in unam rem factis locupletata est, ideoque eatenus impensae restituendae sunt; in re singulari autem omnia haec aliter se habent [12]). Idcirco etiam in hereditate par est conditio possessoris et petitoris, possessor enim, quamvis sit b. f. possessor, fructus jam perceptos restituere debet. Fr. 20. §. 3. 12. de her. pet. (5, 3). Furi autem impensae nunquam restituuntur, multi quidem, legibus expressis obstantibus, furem in impensis necessariis eadem modo, quo m. f. possessorem tractandum esse censuere [13]). Cf. fr. 13 de cond. furt. (13, 1). Const. 1 Cod. de infant. expos. (8, 52).

12) *Cujac.* quoque (in Paul. lib. XX ad edict. ad l. 38.) hujus fragmenti discrimen de b. et m. f. poss. ad hereditatem tantum spectare existimat.

13) *Harprecht* ad §. 31 J. de act. No. 23 cet. *Cujac.* ad Paul. Ed. Lib. XXI ad fr. 13 cet.

Digitized by Google

§. 6.

2) *Impensae utiles* a b. f. possessore deduci possunt, si petitor his impensis re vera locupletatus est, neque res, quibus impensae constant — impensas ipsas intelligo — demere et a re principali separare mavult. Si b. f. possessor impensas ipsas a re demere et separare debet, quia dominus ei impensas restituere neque vult, neque etiam cogi potest, detrimentum aliquot vel molestia aliqua, quae in dominum cadit, ab eo ferenda est; neque vero pristinum rei statum possessori deteriorare, sibique verum commodum parare licet, petitor enim semper tale commodum, pecunia data, sibi acquirere potest [14]). Necesse est igitur si postulatur, ut impensae restituantur:

a) Actorem re vera locupletiorem factum esse. Ideo desideratur: 1) ut meliorationes adhuc durent et exstent. Fr. 29. 38 sq. D. de R. V. (6, 1). Locum posteriorem tantummodo b. f. possessorem respicere luculenter apparet ex verbis „imprudens emere“, quod idem est, ac bona fide emere. Fr. 52 §. 3 pro socio (17, 2) fr. 24 §. 1 de act. E. V. (19, 1) fr. 17 §. 4 de aed. ed. (21, 1). 2) Actor tam locuples sit oportet, ut impensas reddere possit, neve suas res distrahere cogatur. Fr. 38 D. de R. V. (6, 1). Semper autem praesumitur actorem locupletatum esse, si rem venalem habuerat, aut ut eam occasione data venderet, sibi proposuerat, fr. 29. fr. 38 de R. V. (6, 1) aut si impensas a possessore factas ipse fecisset. Fr. 38 de R. V. (6, 1).

b) Necesse est, domino liberum sit arbitrium, utrum restituere, an pati velit, ut impensae aut tollantur aut deducantur a possessore. Quae res et cum ipsis hujus doctrinae principiis cohaeret, quia actoris locupletatio tunc cessat, et cum illa in omnibus contractibus observanda regula, secundum quam nemo, ut rem emat, cogi potest. Const. 16. Cod. de jure delib. (6, 30).

c) Si impensis tollendis domino detrimentum ac molestiae afferuntur, habeat sibi, haec enim a possessore non curantur, arg. fr. 37 de R. V. (6, 1).

14) *Donellus* l. c. L. 22. c. 7.

Digitized by Google

Nam in fine hujus fragmenti solummodo m. f. possessori impensas tollere conceditur, si id sine domini dispendio fieri possit, sequitur ergo ex argumento a contrario, b. f. possessorem etiam cum domini dispendio impensas tollere posse.

d) Pristinum rei statum deteriorem facere possessori vetitum est, ut apparet e L. 38 D. de rei vind. (6, 1). Malae fid. possessori neutiquam concessum est, tollere impensas utiles, fr. 7 §. 12 de acq. rer. dom. (41, 1) fr. 37 de rei vind. (6, 1) Const. 5 Cod. de rei vind. (3, 32), nisi in hereditate, si id sine petitoris dispendio et sine rei ipsius damno fieri potest. Fr. 38 D. de her. pet. (5, 3).

3) Impensae voluptuariae tum solum b. f. possessori restituuntur, si aut dominus re vera his impensis locupletior factus est, aut in hereditate, fr. 39 §. 1 de her. pet. (5, 3). Alioquin sola tollendi potestas ei, quemadmodum malae fid. possessori concessa est. Dominum autem locupletiorem factum esse leges praesumunt, si re ad vendendum proposita majus pretium ob has impensas in rem factas adipiscitur, aut ipse dominus has impensas fecisset. Fr. 25 de pign. act. (13, 7) fr. 10 mandat. (17, 1) fr. 30 de R. V. (6, 1). Malae fid. possessori etiam tollendi jus conceditur, ut luculenter apparet e fr. 39 §. 1 de her. pet. (5, 3), nihil enim aliud sibi vult vox „supervacuas".

§. 7.

2) In doctrina de usufructu.

Sequitur ex principiis, quae in tota de impensis doctrina eodem modo servantur, tunc demum usufructuario impensas restitui oportere, si impensae non modo usufructuario profuerunt, sed dura rei commodum attulerunt. Quam ob rem usufructuarius omnia onera necessaria, omnesque impensas necessarias ususfructus causa factas ferat necesse est; fr. 7 §. 2. fr. 27 §. 27 sq. de usufr. (7, 1); jure naturae enim aequum est, incommoda cujusque rei eum sequi, qui commoda quoque habet; fr. 10 de R. J. Si vero ejusmodi impensae sunt, ut non modo usufructuarii commodum spectent, verum etiam proprietario prosint, tum usufructuario impensae restituendae

Digitized by Google

sunt. Fr. 7 §. 2 de usufr. (7, 1). Const. 7 Cod. de usufr. (3, 33). Hac ratione explicanda est vox „modica", hic enim certam summam constituere neque voluit neque potuit lex. Cf. glossam ad h. l. [15]) Sed singulare quiddam habet jus Rom. in aedificiis aedificandis. Quamquam enim fieri potest, ut usufructuarius sui tantum commodi causa aedificium exstruxisse videatur, remanet tamen aedificium proprietario, est ergo quod proprietarius impensas restituat, vel eas tolli permittat, usufructuarius enim bonae fid. possessor est, neque eum ex illo tempore, quo aedificium exstruendum curavit, in malo fide versari putare possumus. Proprietarium quidem ut impensas restituat cogi non posse, luce clarius est, quia nemo ut contractum ineat cogitur. Const. 5 Cod. de O. et A. (4, 10). Sed singulare quiddam hic introduxit jus Romanum, nam ne tolli quidem impensas hic permissum est, ut apparet e fr. 2 de superf. (43, 18) fr. 23 de R. V. (6, 1) fr. 74 de R. J. Domo autem diruta, quominus materias vindicet, non prohibetur usufructuarius. Fr. 15 pr. de usufr. (7, 1) fr. 7 §. 10 de acq. rer. dom. (41, 1). Const. 2 Cod. de R. V. (3, 32).

§. 8.

3) *In doctrina de emphyteusi.*

Quum emphyteuta omnes fructus, omniaque commoda agri vectigalis habeat, §. 3 J. de loc. cond. (3, 25) fr. 1 pr. §. 1 si ager vect. (6, 3), et emphyteutae jus quasi dominium quoddam revocabile sit, omnia quoque onera, omnes culturae ususque impensas eum sustinere oportet. Const. 2 Cod. de jure emph. (4, 66). Eas modo impensas, quae non in contractus natura collocatae sunt, repetere eum licet. Nov. 120. c. 8.

§. 9.

4) *In doctrina de contractu pigneratitio.*

Hic quoque quoad impensas valent principia supra relata; concedunt quidem leges creditori actionem pigneratitiam contrariam, ut impensas in rem factas recuperare possit, neque vero in ipsis impensis necessariis sine ulla limitatione, ut plerumque docent, sed tum solum, si debitori non omnia

15) *Faber* ration. ad fr. 7. §. 2. de usufr.

Digitized by Google

commoda rursus perierint. Utiles autem impensae solummodo repeti possunt, si ab ipso domino coeptae, aut eo consentiente factae sunt, leges enim hac de re sic loquuntur: ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur. Cf. fr. 8 pr. h. t. fr. 25 eod. (13, 7). Const. 7 Cod. eod. (4, 24). [16]

§. 10.

5) *In doctrina de dote.* [17]

Impensae necessariae in dotem factae, si iis dos augetur, neque impensae in fructus solum a marito concipiendos factae sunt, semper restituantur oportet. Fr. 1 §. 2. 3. fr. 3 §. 3. fr. 15. fr. 16. fr. 13. D. de imp. in res dot. (25, 1). [18]

Ob has necessarias impensas recentiore jure Rom. retentio etiam et compensatio viro concessa est, vetus jus Rom. dederat condictionem indebiti et actionem neg. gest. vel mandati actionem. Fr. 5 §. 2 de imp. in r. dot. (25, 1) fr. 56 §. ult. de jure dot. (23, 3). Const. un. §. 5 Cod. de rei uxor. act. (5, 13). [19] De significatione et interpretatione verborum: „ipso jure minuitur dos", videas Ulp. ipsum fr. 5 D. h. t. (25, 1). [20]

Impensae utiles restituuntur si sciente et volente uxore factae sunt, neque ad eam magnitudinem accreverunt, ut uxor dotem ipsam impensarum restituendarum causa distrahere cogatur. (Hac ratione explicanda est vox „modica". Fr. 8. h. t. (25, 1). Const. un. Cod. de rei ux. act. (5, 13). Antiquis temporibus etiam ob has impensas jure retentionis uti poterat ma-

---

16) *Paul.* sent. rec. 2, 14. §. 7. *Schulting* ad Paul. sent. rec. 2, 14. not. 1 jus ant.

17) *Donelli* com. jur. civ. l. 14 c. 8 §. 4 sq. *Majansii* disp. de imp. in r. dot. f. (disp. jur. civ. T. 1. disp. 28.) *Valett* diss. de retent. ex dote faciendis. *Glück* tom. XXVII. p. 374—454.

18) *Wernher* lect. c. L. 25 t. 1. §. 2. *Müller* ad Leyser. obs. 375, a quo discrepat *Leyser* sp. 321.

19) *Thibaut* Pand. §. 858. *Glück* t. XXVII. p. 382 sq. Aliam opinionem secuti sunt *Valett* in diss. tom. I. No. 1. Pand. §. 800 sq. *Voët* L. 25. t. I. §. 1. Cf. *Schenk* das Retentionsrt p. 203—209. 227—229.

20) *Valett* Pand. §. 800. *Glück* t. XXVII. p. 380. N. 19. *Cujac.* obs. 23. obs. 12.

Digitized by Google

ritus, quod jus ei a Justiniano ademtum est const. un. §. 5. Cod. de rei ux. act. (5, 13), [21]) idque sine ulla limitatione, voluit enim Justinianus, ut dos statim et tota restitueretur. Neque vero uxoribus tantum benevolum se praestitit Justinianus, maritum quoque non neglexit; si enim maritus uxore mandante impensas fecerat, mandati actionem ei concessit Justinianus, negotiorum gestorum actionem vero, si sciente uxore impensas fecerat, et impensis his re vera doti incrementum additum erat, ei concessit. Adde fr. 79. de V. S.

Quod adtinet ad impensas voluptuarias illud tenendum est; marito neutiquam licet petere impensas voluptuarias, tollere autem et detrahere eas potest, si id sine rei ipsius damno fieri potest, neque etiam ei prodest, has impensas sciente et volente uxore factas esse. Si uxor autem non parata est pati maritum sine ullo rei damno impensas voluptuarias tollentem, vel si ita rem pluris vendere potest, exactionem patitur. Const. 1 §. 5 Cod. cit. fr. 9. 10. 11. D. h. t. [22])

§. 11.

6) *In doctrina de hereditatibus.*

Impensae necessariae et utiles a b. f. possessore etiam re non amplius exstante postulari queunt, a malae fidei possessore tum tantum, si impensae ab eo factae adhuc durant et exstant. Fr. 38 de her. pet. (5, 3). Plerumque quidem hoc discrimen inter impensas exstantes et non exstantes ad impensas utiles tantum refertur, at contra clara et expressa fragmenti cit. verba, quod de impensis et necessariis et utilibus loquitur, ac solummodo, ubi de restituendis impensis agitur, inter bonae fidei et malae fidei possessorem discernit. Patet autem per se, cum ipsi fructus restituendi sint, impensas in fructus factas, restituendas esse; fr. 51 fam. herc. (10, 2) fr. 36 §. ult. de her. pet. (5, 3); valet tamen hic quoque discrimen inter bonae et malae fid. possessorem, ita ut bonae fidei possessori etiam impensas fru-

21) *Thibaut* §. 358 b. *Cocceji* jus controv. L. 25. t. I. *Lauterbach* coll. L. 25. t. I. §. 10. *Valett* §. 802.
22) *Thib.* Pand. §. 358 c.

Digitized by Google

stra factas restitui necesse sit. Fr. 37 de her. pet. (5, 3). [23]) Voluptuariae impensae bonae fid. possessori tantum restituuntur; malae fid. possessori sola tollendi facultas relicta est, si id sine ullo rei detrimento fieri potest. [24])

§. 12.

7) *In doctrina de commodato.*

Impensae necessariae hic peti possunt actione commodati contraria, uno tantum casu excepto, in quo ex commodati natura commodatarius impensas faciat oportet, e. g. si servi in commodatum dati sunt, vel si animalia. Impensae exiguae ex commodati natura in aestimationem non veniunt, quia omnis utilitas penes commodatarium est. Id apparet e fr. 18 §. 2 commod. (13, 6). Impensae utiles non restituuntur, nisi ex speciali causa, ergo si ex domini voluntate eoque sciente impensas fecerat commodatarius, ut in contractu pigneratitio. Retentionis jus commodatario nequaqum conceditur. Fr. 18 §. 2. 4. D. commod. Const. ult. Cod. de comm. (4, 23). [25])

§. 13.

8) *In doctrina de deposito.*

Eadem, quae de commodatario diximus, etiam de depositario dicenda sunt, nisi quod illa de alimentis exceptio hic locum habere non potest, depositario enim alimenta restituenda sunt. Fr. 12 §. 1. fr. 23 D. depos. (16, 3). Alia autem res hic notanda est; depositario enim ex novo jure Romano ob impensas factas nullum retentionis jus conceditur. Const. 11 Cod. depos. (4, 34) cf. Const. 14 Cod. de compens. (4, 31) §. 30. Inst. de act. (4, 6). Nov. 88. c. 1.

§. 14.

9) *In doctrina de contractu emti venditi.*

Venditor semper impensas necessarias contractu perfecto factas actione venditi petere potest, utiles quoque, si verisimile est, emtorem quoque eas

---

23) *Thib.* Pand. §. 894. *Fab.* rat. ad h. l. de her. pet.

24) *Donelli* comm. ad Lib. 30 c. 7. *Fab.* rat. ad h. l. *Thib.* §. 894.

25) Dissentientes autem nominandi sunt: *G. L. Boehmer* de jure retent. §. 13. *Faselius* ve jure ret. §. 19. n. c.

Digitized by Google

factorum fuisse. Fr. 18 §. 22 D. de act. E. V. (19, 1) Const. 16 Cod. eod. (4, 49). Voluptuariae autem impensae, quum de his leges sileant, peti nequeunt.

§. 15.

10) In doctrina de contractu locati conducti.

Conductori non modo necessariae impensae restituendae sunt, sed etiam illae, quas agricolendi causa ultimo anno impendit; ad has impensas consequendas habet conducti actionem. Utiles sumtus tunc demum in calculum vocantur, si durans rei commodum dederunt, neque locatori nimis graves ac molestae sunt. Fr. 55 §. 1. fr. 61 pr. D. locati (19, 2). [26] Procul dubio omnes quoque impensae restituendae sunt, ad quas faciendas locator consenserat. Fr. 61 cit. Neque obstat fr. 19 §. 4 eod. hoc enim fragmentum solummodo de conductore impensas tollere volente loquitur; id conductori quoad voluptuarios impensas semper licet, si enim locator prohibere vult, quominus id fiat, impensae aut a pretio solvendo detrahuntur, fr. 1 §. 3 de via publ. (43, 10), aut a locatore postulari queunt. Fr. 55 h. t. (19, 2).

§. 16.

11) In doctrina de societate.

De impensis restituendis in generalibus tantum societatibus sermo esse potest, nequaquam vero in societatibus universalibus; in his enim omne lucrum, omne damnum, omnesque impensae communes sunt, neque respicitur quantum quis ad suas res contulerit, neque quantum impenderit. Ideo etiam in capita dividitur [27]), nulla ratione habita, an quis plus minusve ad societatem contulerit. Fr. 52. fr. 73 §. 1. fr. penult. §. 2 pro socio (17, 2). Quemadmodum autem ex omnium aliarum societatum natura, quae non sunt universales societates, pro rata collationis lucrum et damnum dividitur, sic etiam impensae necessariae et utiles pro rata computantur; fr. 38 §. 1. fr.

---

26) *Huber* praelect. ad D. L. 19. t. 2. §. §. 7—18.

27) *Thibaut* §. 541. *Lauterbach* L. 17 t. 2 §. 18. *Struv.* synt. Cod. Th. 27. *Voet* ib. §. 27. Dissentiens citandus est *Valett* Pand. §. 547.

Digitized by Google

52 §. 4 pro socio (17, 2); ei qui impensas fecit, etiam usurae dantur. Fr. 67 §. 2 D. pro socio (17, 2).

§. 17.

12) In doctrina de mandati contractu.

Omnes impensae a mandatario ex natura negotii pro mandante factae, a mandante mandatario praestentur oportet. Ab omnibus quoque obligationibus, quas pro mandante inivit et suscepit, liberandus est mandatarius. Fr. 45 §. 5. fr. 26 §. 4. 7. mand. (17, 1). fr. 12 eod. Sin mandatarius fines negotii transgreditur, nihil ei a mandante restituendum est. Fr. 21. fr. 33. fr. 3 §. ult. fr. 8 h. t. (17, 1). Impensae cum usuris etiam restituendae sunt, si alias mandatarius usuras consequi potuit. [28]) Fr. 10 §. 9. fr. 12 §. 9 D. h. t. Const. 20 §. 1 Cod. mand. (4, 35). Tum quoque sunt restituendae impensae, si inutiliter et frustra factae sunt, dummodo mandatarius considerate ac consulte egerit. Id autem tenendum, solummodo impensas ad mandatum bene conficiendum necessarias actione mandati peti posse; ob impensas utiles negotiorum gestorum actio concessa est.

§. 18.

13) In doctrina de negotiorum gestione.

Impensas a negotiorum gestore factas dominus restituere debet. Fr. 2. fr. 45 pr. D. h. t. (3, 5). fr. 28. 35. eod. Inde etiam ab obligationibus in hunc finem susceptis liberandus est negotiorum gestor, fr. 2 eod. operis vero, laboris et molestiarum remunerationem negotiorum gestor petere nequit. Omnes impensae considerate et convenienter factae restituendae sunt, quum ea quoque utiliter facta habeantur, quae ex voluntate domini facta sunt. Fr. 31 §. 4 h. t. fr. 10 D. eod. Qua de causa voluptuariae impensae nequaquam restituuntur. Fr. 27 pr. D. h. t. (3, 5). fr. 3 §. 4 D. de in rem verso (15, 3); quae regula eodem modo in versione in rem secundum analogiam negotiorum gestorum servatur. Fr. 17 pr. de in rem verso (15, 3). Negotio autem a domino approbato, omnes cujuscunque generis impensae restituendae sunt;

---

28) *Lauterbach* §. 37.

quodsi plus aequo impenderit negotiorum gestor, tantum certe restituendum est, quantum considerate aptaque impenderit. Fr. 9. fr. 25 D. h. t. Quum prosper impensarum successus casu quodam turbatus et impeditus est, tamen restituantur oportet, si modo initio considerate et prudenter factae sunt impensae. Fr. 10 §. 1. fr. 12 §. 2. fr. 22 D. h. t. [29]) Si vero negotiorum gestor hujus interitus causa fuit, habeat sibi, nihil enim tunc restituitur. Fr. 22 h. t. In casibus autem nunc nominandis in tantum modo impensae restituuntur, quantum dominus locupletior factus est:

a) Si pupilli negotia gesta sunt. Fr. 3 §. 4. fr. 6 pr. fr. 37 pr. D. h. t. Const. 2 Cod. h. t. (2, 19).

b) Qui mala fide aliena negotia gessit, suum autem commodum spectavit, huic eatenus modo impensae restituuntur, quatenus locupletior dominus factus est. Fr. 6 §. 3 D. h. t. (3, 5).

c) Ille negotiorum gestor, qui negotia non necessaria et supervacanea gessit, quae dominus gerere non consueverat, etiam damnum ex casu fluens praestat. Fr. 11 D. h. t.

Usurae tunc demum negotiorum gestori ob impensas restituuntur, si ipse ob has impensas usuris caret; usuras autem semper ex impensarum veritate tantum computari manifestum est. Fr. 19 §. 4 D. h. t. fr. 37 D. de usuris (22, 1) Const. 18 Cod. de neg. gest. (2, 19).

Hae impensae semper fere a domino restituendae sunt, interdum quoque a tertio, si tertii interfuit, gesta esse negotia, fr. 6 pr. §. 6. fr. 46. pr. D. h. t. (3, 5), et tum demum a tertio in subsidium modo impensae postulari queunt, et quatenus locupletior factus est. Fr. 27 eod.

Qui animo donandi impensas fecit, ei non restituuntur, fr. 4. fr. 27 §. 1. fr. 44 D. h. t. Const. 11. 12. 15. Cod. h. t. animo donandi autem factas esse impensas plerumque [30]) in voluntariis impensis non praesumitur. Const. 13 Cod. h. t. Const. 3 Cod. de contr. jud. (5, 58) Const. 1 Cod. ubi pup. (5, 49); eodem modo impensae peti nequeunt, si negotiorum gestor, se ne-

29) Cf. *Waechterum* de hac re in libro: Archiv f. d. civ. Praxis Tom. XX. part. 3. No. 11.
30) Exceptionem habet *Thib.* Pand. §. 243.

gotia sine ulla impensarum restitutione gestorum promisit; hac ratione explicandum est fr. 10 pr. D. h. t. Si dominus tales impensas sustinere nequit, jamque antea declaravit, se his impensis imparem esse, negotiorum gestori impensae non restituuntur. Fr. 10 §. 1 h. t. Idem de pupillo dicendum est. Fr. 3 de contr. tut. et ut act. (27, 4). Cf. fr. 25 de pign. act. fr. 38 deR. V. (6, 1).

Si quis negotia sua gratis obtulit, ei nullius generis impensae restituuntur. Const. 2 in fin. Cod. h. t. idemque valet, si quis domino invito negotia gessit. Const. 24 Cod. h. t. Quodsi negotiorum gestori licito interdicto, vel scripto vel coram testibus pronunciato, negotiorum gestio vetita est, nihil restituitur; illicitum autem interdictum et unilaterale non respicitur. Fr. 14 §. 13 de relig. (11, 7). [31]

Si tota negotiorum gestio initio jam domino inutilis fuit, neque ullum commodum ei praebuit, idem erit dicendum, quod de negotiis inscio et invito domino gestis dictum est. Negotiorum gestori concessa est actio neg. gest. contraria, vel actio contraria, si dominus negotium jam ratum habuit.

Malae fidei possessori nihil restituitur, nisi impensae adhuc exstant et durant. Fr. 6 §. 3 h. t. Quam legum sententiam ita mutavit doctrina, ut malae fidei possessori necessariae impensae semper restituendae sint; cui doctorum sententiae legibus contrariae accedere noluimus, nam Const. 5 Cod. de R. V. (3, 32) nihil aliud dicit, nisi malae fid. possessorem ob impensas necessarias exceptionem habere, quatenus autem habeat hanc exceptionem, ex hac lege perspici nequit, sed e fr. 6 §. 3 cit. [32]) de hac re ipsa loquente.

§. 19.

14) In doctrina de sumtibus funebribus.

Si quis nullò jure cogente alterius cujusquam sepulturam curaverit, actio funeraria ei ob impensas in eos concessa est, quibus sepulturae onus

31) *Brunnemann* comm. ad Pand. L. 3 t. 5 ad L. 43. Archiv f. civ. Praxis t. VIII. parte 2. pag. 265. 266.

32) Dissent. citandus est *Thib.* §. 630. A. 1. Conf. *Noodt* prob. L. 4. c. 9. *Waechter* opusc. p. 324 — 329.

injunctam fuit. Haec actio est sine dubio species actionis neg. gest. contrariae, sed a Romanis seorsum tractata. Fr. 12. §. 2. 3. D. de relig. (11, 7). [33]) Unusquisque e populo alterius cujusquam sepulturam curare potest, fr. 12 eod. etiam contra obligati interdictum, fr. 14 §. 13 eod. et unicuique haec actio ad recuperandas impensas funeris causa factas concessa est. Si quis hac sepulturae curatione coheredum quasi negotia gessit, impensasque fecit, hae impensae actione fam. hercisc. repetendae sunt. Fr. 14 §. 12 eod.

Principia actionis neg. gest. etiam in actione funeraria locum habent. Ideoque nihil peti potest, si animo donandi sepultura facta est, et in eum modo actio competit, cui sepulturae onus injunctum erat. Fr. 14 §. 7. 17. D. eod. Praecipue autem heredibus pro magnitudine portionis hereditatis hoc sepeliendi onus injunctum est. Fr. 12 §. 4. fr. 31 pr. §. 1 eod. Heredem sequuntur in sepulturae curatione parentes atque maritus, parentes autem ante maritum, nisi quid e re uxoris ad maritum venerit. Fr. 16—23. fr. 28 eod. Id vice versa de uxore eodem modo contenditur [34]); plerumque etiam omnes aliae personae, qui defuncto alimenta dare debebant, ad sepulturam curandam obligatae habentur. [25])

Hic quoque valet regula, eas solum impensas repeti posse, quae honestae et accommodatae opibus defuncti erant, neque impedit, quominus repetantur, si etiam defunctus contrarium jusserat neque vero his impensis ignominiam defuncto injungere licet. Fr. 14 §. 5. 6. 10. D. h. t. Const. 5 Cod. de his quae ut indign. (6, 35). [36]) fr. 12 §. 5 D. h. t. fr. 21 eod.

Jam vero ea, quae propria sunt actioni funerariae, accuratius tractemus:

a) Huic actioni privilegium exigendi concessum est, ita ut impensae funerariae in creditorum concursu in quarta classe collocentur. Fr. 45 D. h. t. communis autem opinio est, in prima classe has impensas collocari oportere. Hoc autem privilegium non tam actioni, quam ipsis impensis concessum est,

---

33) *Stevogt* de act. fun. Jena 1690. *Gratama* opusc. acad. No. 6. *Glück* tom. XI. §. 772.

34) *Thib.* §. 639. *Brunnemann* ad fr. 44. eod. Carpzov. p. h. const. 25. dec. 7.

35) *Stryk* L. 11. t. 7. §. 42.

36) *Hübner* de minuendis funer. sumpt.

Digitized by Google

ita ut, si hae impensae alia actione postulantur, eodem modo hoc privilegium locum habent. Fr. 17 pr. D. de reb. auct. jud. (42, 5).

b) Ei quoque haec actio competit, qui sua negotia se tractare opinatus est. Fr. 14 §. 11. fr. 32 pr. D. h. t.

c) Actio funeraria in subsidium semper est, si nulla alia actio locum habet, fr. 14. §. 12. 15. D. eod. ideo non competit ei, qui funeris curatori merces et materias funeris curandi causa dedit, vel operas praestitit, quia huic aliae actiones competunt; ea tantum exceptio huic regulae addita est, si funeris curator non est solvendo. [37])

d) Haec actio locum habet in impensis funeris causa factis, i. e. in his tantum impensis, quae ad funus curandum necessariae fuerunt; huc referenda cadaveris curatio, ejus transportatio, emtio loci ubi defunctus sepeliatur. Fr. 14 §. 3. 4. 6. fr. 37. pr. D. eod. Impensae autem monumenti exstruendi causa et ob vestes lugubres factae non restituuntur. Fr. 37 §. 1 D. eod.

e) Qui nimis parce atque anguste funus curavit, nihil repetere potest. Fr. 14 §. 10 eod.

Haec igitur actio locum habebat, si nemo eorum, qui obligati erant, sepulturam curavit, neminique mandatum datum fuit. Quod si vero defunctus alicui mandatum dederat, hic, si sepulturam curavit, ob impensas mandati actionem habet in eos, quibus per se sepulturae officium injunctum est. Fr. 14 §. 1 eod.

§. 20.

15) In doctrina de tutela et cura.

In negotiis a tutore pro pupillo gestis valet negot. gestionis analogia. Ab omnibus igitur obligationibus, quas tutor pro pupillo suscepit, liberandus est. §. 27. Inst. de obl. quasi ex contr. (3, 28). fr. 6 D. de contr. tut. et ut act. (27, 4). Omnes impensae, quas ex propriis ad pupilli commodum fecit, ei restituendae sunt. Fr. 33 §. 2 D. de adm. tut. (26, 7). Const. 3. Cod. de adm. tut. (5, 37). Const. 4. Cod. de in lit. jur. (5, 44).

---

37) *Dabelow* v. Concurs. Editio secunda p. 191. 597.

Digitized by Google

Sed illae tantum impensae, quae conveniente r apteque factae sunt, restituuntur, etiamsi prosperum successum non habuerunt. Fr. 9 §. 6 D. de adm. tut. (26, 7). fr. 3 pr. §. 7 D. de contr. tut. et ut act. (27, 4). Usurae quoque ob impensas a tutore peti possunt, si nulla pupilli pecunia adfuit, ipseque ob hanc rem usuris caruit, fr. 3, 1—6 D. 27, 4; solummodo autem usurae in terra, ubi tutor domicilium suum habet, consuetae restituuntur, nisi tutor grandiori fenore pecuniam occupare coactus erat. Tutor aut in rationibus componendis compensae potest, aut uti actione tutelae contraria, ut impensae ipsi restituantur. Fr. 1 §. 4 D. 27, 4. Const. 2 Cod. (5, 44) Const. 3 Cod. de contr. jud. tut. (5, 58). Actio tutelae contraria curatori quoque concessa est, ita ut, cum tutor hac actione solummodo finito officio uti possit, curator adhuc durante officio, quominus agat, non prohibeatur, fr. 1 §. 2. 3. D. 27, 4; est autem haec actio, quae curatori concessa est, actio utilis; at curator etiam actione negotiorum gestorum uti potest. Protutori actio protutelae concessa est.

His actionibus illas quoque petere potest impensas tutor, quas nondum suscepto tutoris officio, et quas finito officio fecerat. Fr. 3 §. 8. fr. 5 D. de contr. tut. act. (27, 4).

§. 21.

16) In doctrina de communione incidenti.

In communione incidenti unicuique impensae necessariae et utiles convenienter apteque factae, nulla successus ratione habita, pro rata ab aliis restituuntur. Fr. 4 §. 3. fr. 14 §. 1 D. comm div. (10, 3). Const. 18 §. 1 Cod. fam. herc. (3, 36). Usurae etiam a tempore, quo factae sunt impensae, dari solent. Uno quidem casu excepto nullam hac de re legem habemus, habemus autem analogiam. Casus ille modo memoratus est hic: Impensae aedificii communis restaurandi causa factae unicuique intra quatuor menses cum usuris centesimis restituantur oportet, alioquin is, qui impensas fecit, unicus fit aedifici dominus, nisi se damno levari praefert. Fr. 52 §. 10 D. pro socio (17, 2). Const. 4 Cod. de aedif. priv. (8, 10).

Digitized by Google

Ob has, quemadmodum ob alias impensas semper postulari potest, ut res communis dividatur, nisi convenerit, ne intra certum tempus haec divisio fiat. Quodsi vero divisio statim perfici nequit, cautiones certe postulari possunt. Fr. 8 pr. fr. 19. fr. 25 §. 10 C. fam. her. (20, 2). fr. 15. fr. 6 D. com. div. (10, 3). Quas propter impensas in rem communem factas hae actiones concessae sunt: actio communi dividundo, actio finium regundorum, et actio familiae herciscundae. Hae actiones omnes sunt judicia duplicia. Finium regundorum actio sine dubio arbitraria actio esse videtur, aliae duae sunt bonae fid. actiones. Fr. 4 §. 2. fr. 14 D. com. div. (10, 3) Const. 9 Cod. fam. her. (3, 36). Actione communi dividundo non modo ut dividatur, sed etiam ut aliae omnes obligationes solvantur peti potest, ideo etiam haec actio ad impensas recuperandas concessa est.

Si quis alio mandante impensas fecit, ob has impensas habet mandati actionem, si vero pro suo fecit has impensas, ea modo juris subsidia ei concessa sunt, quae reis in rei vindicatione competunt, i. e. exceptio tantum quamdiu possidet, fr. 48 de R. V. (6, 1) §. 30 J. de rer. div. (2, 1) fr. 7 §. 12 de A. R. D. (41, 1) [38]), omnes quoque impensas, quas tollere ei permissum est, apud rem relinquere debet, si actor has impensas se restituturum pollicetur, fr. 38 de R. V. (6, 1); idque de his impensis semper deducendum erit, quod fructibus perceptis acquisitum est. Fr. 48. fr. 65 eod. Usu fori vero negotiorum gestorum quoque actio utilis conceditur. [39])

Si quis nullo mandante, sed sciens pro communi re impensas fecit, in hac re aut proprium commodum atque utilitatem respicere potuit, et aliorum res neglexit [40]), tum ei negot. gestorum actio concessa est, fr. 40 de neg. gest. (3, 5) fr. 41 pr. de R. C. (12, 1); aut cum suis negotiis aliorum negotia conjunxit, tum ei vel actio communi dividundo, vel negot. gestor. actio competit.

---

38) *Thib.* §. 710. Not. k.

39) *Wunderlich* de remed. quae pro servandis recuperandisve expensis cet. competunt. *Struben* rechtl. Bedenk. tom. 3. §. 76.

40) *Thib.* §. 716.

Digitized by Google

Si quis in rem communem, quam pro sua habuit, impensas fecit, tunc retentionis tantum jus ei concessum est. Fr. 14 §. 1. fr. 29 pr. D. comm. div. [41])

Quodsi hac actione impensae postulantur, praescriptio triginta annorum locum habet, ex illo tempore, quo obligatus in mora est. Const. 1 §. 1 Cod. de annali exc. (7, 40). Neque vero actioni comm. div. datur locus, si quis contrahentium, vel etiam tertius quis dominium rei communis solus praescriptione acquisiverit. [42])

§. 22.

Actio finium regundorum a proprietario, emphyteuta, superficiario, et ab unoquoque, qui jus reale in fundo habet, non modo ad fines regundos, sed etiam ad ejus quod interest praestationem et ad impensas recuperandas institui atque instrui potest. Fr. 4 §. 9 D. fin. reg. (10, 1) c. 3. X. de praebend. (3, 5) fr. 8 §. 1 D. h. t. (10, 1) fr. 4 §. 1. 2. eod. [43])

Actio familiae herciscundae coheredi tantum et in heredem concessa est et jure civili et jure praetorio. Fr. 2 pr. fr. 24 §. 1 D. fam. herc. (10, 2) fr. 18. fr. 40 eod. Non modo familiae et hereditatis divisionem haec actio spectat, sed etiam impensis in hereditatem factis repetentis inservit; etiam usurae harum impensarum postulari queunt. Fr. 18 §. 3 D. h. t. Const. 18 §. 1 Cod. eod. Heredem vero, qui scit, se esse heredem, animo eo egisse, ut pro hereditate impensas faceret, fr. 49 §. ult. fr. 44 §. 3 D. eod. neque suum modo commodum spectasse oportet. Fr. 18 §. 6. 7. fr. 31. fr. 25 §. 15 fr. 39 D. h. t. fr. 78 §. 2 D. de contr. emt. (18, 1). Const. 3 Cod. de neg. gest. (2, 19). Ob voluptuarias expensas sola doli exceptio admissa est. [44])

Praelegatario quoque haec actio concessa est. Fr. 4 pr. fr. 25 §. 22. fr. 28 D. eod.

---

41) *Cujac.* L. 2 quaest. Pauli ad Ed. ad fr. 29 cit. *Fab.* conj. L. 3 c. 2. *Glück* t. XI. p. 152—166.

42) *Valett* Pand. §. 668 in fin.

43) *Valett* Pand. §. 670.

44) *Valett* loc. cit. §. 1097.

Fideicommissarius heres, fr. 40 eod. impubes arrogatus ob quartam Divi Pii, fr. 2 §. 1 eod. et hereditatis emptor utilem tantum habent hanc actionem. Const. 5 Cod. de her. vel act. vend. (4, 39).

Si convenerint coheredes, ne unquam hereditas dividatur, vel testator tale quid praescripserit, neutrum respicitur. Fr. 70 D. pro socio (17, 2) fr. 14 §. 2 D. comm. div. (10, 3). Const. 5 Cod. eod. (3, 37) fr. 4 pr. D. de cond. inst. (28, 7). Hujus actionis praescriptio est triginta annorum, et incipit in impensis restituendis haec praescriptio a momento, ubi impensae restitui debebant. Const. 1 §. 1 Cod. de ann. exc. (7, 40). Trium, decem, vel viginti annorum praescriptio contra hanc actionem nihil valet.

Digitized by Google

Programm

wodurch

ZUR FEIER DES HOHEN GEBURTSFESTES

Seiner Königlichen Hoheit

unseres Durchlauchtigsten Grossherzogs

LEOPOLD

PARSONS LIBRARY
University of
MICHIGAN

im Namen

des akademischen Senates

die Angehörigen

der

Albert-Ludwigs-Universität

einladet

der Prorector

FR. A. von WORINGEN.

Inhalt: Fragmentarische Betrachtungen über die Einführung der Schwurgerichte.

Freiburg 1848.
Universitäts-Buchdruckerei von Hermann M. Poppen.

Digitized by Google

Digitized by Google

